Quod felix fauſtumque eſſe jubeat SS. Trias!

Adſpirante divinâ clementiâ,

conſentiente illuſtri Aſclepiadeo ordine,
in florentiſſimo Athenæo Salano,
ſub
clypeo

RECTORIS ACADEMIÆ,

VIRI

MAGNIFICI,

DOMINI DOCTORIS

GVERNERI ROLFINCII,

philoſophi, & medici eminentiſſimi,
chimiæ & practices profeſſoris celeberrimi,
Academiæ Salanæ ſenioris graviſſimi,

Domini

patroni, promotoris & præceptoris plusquàm filiali pietate æternùm devenerandi,

HOC

SCRUTINIUM CHIMICUM VITRIOLI

erudito iätragoniſtarum examini,
in acroaterio medicorum,
horis conſvetis, ad diem 6. Octobris,
ſubmittit

JOHANN-GEORGIUS TRUMPHIUS
GOSLARIA SAXO.

JENÆ,
Literis SAMUELIS KREBSII 1666.

19

TRUMPHI
conjunctiſſime,

CUm primùm hoc accederes Prytaneum, à perreverendo, devotisque in ſuggeſtu perorandi donis conſpicuo viro, M. Eliâ Himmelio commendatus, obſervavi in te eminere ſingularem ad pietatis virtutumque ſtudium inclinationem. Prima tibi erat cura cœleſtis doctrinæ nectar ex cœleſtibus haurire fontibus, & timorem ſummi numinis veræ initium amplecti ſapientiæ. A protervi ſeculi more deflectens, non ætate frui, non rixis & altercationibus juveniles calores exacerbare, aut inter arma & amores dividere tibi fuit cordi, ſed

ad

ad omnia capax ingenium tuum applicuiſti ſtudiis ſapientiæ, & bonas horas ludicris voluptatibus vacuas omnes medicis audiendis impendiſti.

Deprehenſa in te fuit ἐυφυΐα καὶ ἐρωτικός τις ἐνθουσιασμὸς, *naturæ bonitas, amatoria quædam diligentia*, nec non ad artem ſervandorum hominum propenſio, & felicitas ſingularis.

Νουθέτησις hanc adjuvit, & informatio. Hæc excitatos à naturâ ſapientiæ igniculos fovebat, in dubibiis judicium confirmabat, in obſcuris & difficilibus neceſſaria ſuppeditabat conſilia.

Paucis licet eſſe tàm beatis, ut absque præceptorum ope emergant, quod Ramo in ſtudiis philoſophiæ, Mureto in oratoriâ, Cujacio in juris prudentiâ, Budeo in

in literis humanioribus, Scaligero in Græcis contigit. Brevius iter eligiſti. Manuductoribus te concredidiſti longè lateque fulgente ſcientiâ & experientiâ nemini ſecundis. Horum benevolentiâ brevi temporis intervallo profeciſti, te ultrà ætatis tuæ ſphæram extuliſti, & modò in anatomico theatro, cum microcoſmi panduntur receſſus, modò in hortis, cum Flora ſuos oſtendit theſauros, modò in laboratorio, cùm chimia ad Vulcani aram miſtorum centra reſerat, humanis uſibus maximè ſalutaria promittens arcana, comparuiſti, aſſiduum te præſtitiſti ſpectatorem, & operatorem feliciſſimum.

Expendens etiam juſtum fuiſſe veterum inſtitutum, quo Minervæ

væ & Vulcani imagines uno eodemque in templo Athenis coli voluêre, induſtriamq; & ſagacitatem humanam haud præclarum quid præſtare poſſe, niſi id quod mente conceptum, in effectum producatur, compoſitioni medicamentorum per aliquot annos ipſe manum admoviſti, illisque utendi modum & methodum attentè obſervaſti.

Totus in eo fuiſti, ut laudabiles in arte illâ faceres progreſſus, cui ſi tota vita impendatur, longis experimentis non ſuffecturam artis ejusdem parens pronunciavit, ſicque tandem patriæ utilem operam locare, & parenti, viro de eccleſiâ Chriſti meritiſſimo, ſingulari honori & ſolatio eſſe poſſes.

Prodiiſti aliquoties in publicum, & opponentium commilitonum beni-

benignè excepiſti,& maſculè retudiſti tela, artifice ingenio ab iis nexos ſolviſti nodos, diutinâ cogitatione mota ſubitâ animi explicuiſti intentione dubia.

Arguentis ſuſtinens vices, gravitate,& politi ſermonis elegantiâ occupaſti animos audientium, humanitate obligaſti reſpondentes, modeſtè egiſti cum adverſariis ſententiis, de veritate magis, quàm victoriâ ſolicitus. In recenti habes memoriâ, quod ſæpius inculco, δύναμιν ἀντιλογικὴν non eſſe quod conſtituit ſapientem. Sapiens non ſolùm uti debet λόγῳ ἐπιστημονικῷ, ἀλλὰ καὶ φρονήματι εἶναι ταπεινῷ. Confitendum ſanè, nos in quibusdam caligare, nec omnia adſequi.

In ſmaragdinâ VITRIOLI gemmâ expoliendâ nunc occupatus,& ſpecimẽ iterùm in graviſſimâ mate riâ

riâ meditatus publicum, puncta omnium mereris.

Nitet hæc gemma tuâ polita manu multo gratior, oculosque eruditorum oblectat multo amœnior.

Diſſertationem exhibes ab ingenio expolitam, à variâ lectione exornatam, ab induſtriâ elaboratam, à judicio exaſciatam. In Pæoniâ cathedrâ eam defende, in arenâ te virum præſta.

Sic dignus habitus athleta, mereberis ulteriùs virorum illuſtrium, & patronorum favorem, tandemq; immortalis laurûs præmium. In æde virtutũ qui te viderunt merentem ſtipendia, in honoris ſacrario non deſinent tibi adjudicare ſuffragia. Dabam in Athenæo Salano anno M DC LXVI. II. ID. SEPT.

GUERNERUS ROLFINCIUS,

PRÆSES.

CAPUT I.

PROOEMIUM
commendat chimiæ antiquitatem dignitatem & utilitatem.

CHIMIAM, artem illam nobiliſſimam, non in noſtri ſeculi hominum cerebro demùm natam, ſed plurimis ante annis, *Ægyptiis* fuiſſe notam, ἀξιόπιστοι teſtantur ſcriptores

Hanc enim chimiam, ſive, præpoſito Arabum articulo, al chimiam, per *aureum* intelligunt *vellus*, quod Jaſon ſurreptum ivit cum Argonautis, in quo vellere, ſive libro modus ex aliis metallis aurum conficiendi docebatur, uti ex *Suidâ* refert *Pancirollus tomo 2. de nov. rep. tit. de alchimiâ.* Intellexere enim quidam ſub pelle arietis aurei diphtheram, h. e. librum ex membranis veterum more confectum, & arcana ejus artis, quam chimiam vocant, pandentem, verba ſunt in *prælaudato autore tit. de chartâ.* Et hanc ipſam ſententiam tanquam vero ſimillimam defendit *Senn. de conſ. & diſſ. cap.* 3. licet *P. Bellonius obſerv. lib. 1. cap. 2.* hanc aliter exponat fabulam.

Hanc artem per duodecim agones Herculis, à Græcis per deorum πολυθεΐαν, ab Ægyptiis per Oſiris, Iſis, Hori, Typhonis hiſtoriam adumbratam fuiſſe, teſtis eſt *vir* πολυμαθὴς *Athanaſius Kircherus, tomo 2. mundi ſubterranei, de Alchimiâ.*

Non autem ſolum intellexiſſe per alchimiam, chimiam generalem, quæ agit de lapide philoſophorum, vel particularem primam metallicam, ſed alteram etiam chimiam MEDICAM,

conatur idem evincere *Romani orbis lumen Kircherus tomo ſec. Oedipi*, ubi aſſerit, habuiſſe Ægyptios ELIXIR ex variiis pretioſis extractum vitæ prolongandæ idoneum.

Plurimis ante Galenum annis chimiam floruiſſe conatur probare *Horatius Augenius epiſtol. medic. cap. 4.* ex ipſo *Galeno lib. de theriacâ ad Piſonem*, ubi Galenus mentionem medicamentorum per ignem paratorum facit, & uſum illorum commendat. Adde *Reineſ. var. lection. lib.2.cap. 5.*

Utut autem ſtrictam hanc chimiæ antiquitatem non propugnamus, ablegantes hujus rei cupidum ad *illuſtrem Conring. lib. de Hermet. medic.* Sufficiat nobis, hodierno tempore adeò excultam, ut ad *ἀκμὴν* acceſſiſſe videatur. Poſtquam enim illa ſuperiori ſeculo cepit inclareſcere, & excoluerunt & laudarunt eam viri de re medicâ meritisſimi, *Andernacus, Matthiolus, Langius, Libavius*, & aliquos plures noſtri ſeculi in ſui admiratione traxit.

Maximo ſemper hæc ars fuit in pretio. Magnates ab ea ſperant & auxilium & delectamentum.

Ser.ma MARIA, nata Dux Tremolliæ, Ser.mi BERNHARDI Duc. Sax. &c. conjux celſisſima, omni ſeculorum memoriâ digna Heroina, non inferius duxit principali dignitate, gratiosâ ſuâ præſentiâ ROLFINCIUM, præterito autumno collegium toties exoptatum chimicum, in ſuo ſuburbano laboratorio inimitabili dexteritate, multâ noſtrûm comitante coronâ inſtituentem exhilarare, oculos æthneis ignibus, furnis, ſpiritibus exſultantibus dare & carbones aſpicere.

Solatium ab hac arte expectat æger, cum vix ac ne vix quidem medicina hodierna eâ carere posſit.

Ceſpitat ſine chimiâ, *inquit alicubi Heurnius* ars noſtra. Medicina ſine chimiâ, *verba ſunt Hartmanni*, exilem posſidet majeſtatem. Nam hâc unâ Dianæ lampade medicus plus cernit, quàm vulgares medici aperto ſolent ſole.

Auſim dicere, *ait Matthiolus lib.4.epiſt. ult.* neminem medicum abſolutum eſſe poſſe, imo nec mediocrem, qui in hac nobilisſimâ non ſit exercitatus arte.

Noſtrâ hâc ætate vix ille *τοῦ εὐσχήμονος καὶ χαρίεντος gratioſi & elegantis* Medici locum nomenque impetrabit, cui chimicæ

ἐγχυ

ἐκχυμώσεις, & quæ ex hujus artis ἐργαστηρίῳ prodeunt, artificioſæ præparationes aut improbantur, aut negliguntur.

Nunc feliciùs expugnantur urbes & fortalitia, inventis TORMENTIS bellicis, quàm olim cum arietum, teſtudinum & hujus generis aliorum, implorabant opem. Sic quoque hoſtilium morborum inſultus multò feliciùs, tutiùs, citiùs, jucundiùs Chimicis ex arte præparatis expugnantur.

Nauſeam pariunt ægris decocta longisſima, dignæ bove potiones, ſirupi magiſtrales, juleporum myriades, pilularum legiones ingratæ, quibus tamen vel ſepulcri candidatos, cruciare nonnulli pro ſolenni habent: cum tamen nunquam obſequentiores Medico ægri reddi poſſunt, niſi medicamentorum ſuavitate, parvaque doſeos quantitate.

Gratiam è contra inveniunt, tincturæ, paucus pilularum numerus, eſſentiæ, magiſteria chimicorum pretioſisſima & efficacisſima.

Hujus chimiæ inſtaurandæ, vel reſtaurandæ, incremento natum eſſe excellentisſimum Dn. ROLFINCIUM, præſidem venerandum, chimiatrum omni noſtrâ laude majorem, qui putarit, haud à januâ aberraverit. Hic enim egregio nec infelici conatu, nec minori cum laude nominisque immortalitate explicandam, docendam, exercendam ſibi in hoc Athenæo SALANO primus chimiæ profeſſor, chimiam propoſuit, nec minimis ſumtibus, exſtructo ſpecioſisſimo in ſuburbio ſuo, laboratorio, deſudavit quò ad internam rerum œconomiam, & abdita latentis naturæ ſacramenta penetraret.

Sed quid plura? Res ipſa loquitur.

Nos dum, ſplendore Salanæ chimiæ moti, hoc de VITRIOLO exercitium chimicum adornamus:

Da facilem curſum, & noſtris Deus annue cœptis!

CAPUT II.

Scrutinium onomatologicum.

Δύο γένη τὰ πρῶτα τῶν ὁρισμῶν, verba ſunt *Pergameni 4. de pulſuum differ. cap. 2.* una ὀνοματώδης *nominalis*, altera οὐσιώδης *eſſentialis.*

 Jure

Jure igitur merito illam huic præmittimus, ἀρχὴ γὰρ τῆς παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, *principium doctrinæ nominum inquiſitio.*

Conſiſtit illa in tribus ETYMOLOGIA, SYNONYMIA & HOMONYMIA enucleandis.

ETYMOLOGIÆ quod attinet nodum, brevibus ille expediri poteſt.

VITRIOLUM, ſive ut *alii* dicere conſveverunt VITREOLUM, dici putant à VITRO, *vel* quod coloribus vitro reſpondeat, *vel* quod VITRI inſtar clari pelluciditate oculis gratâ ac amœnâ ſuperbiat. Plura vide apud *Voſſium in etymolog.*

In SYNONYMIÆ ſcrutinio varia occurrunt nomina, quibus hoc VITRIOLUM donatum.

Dicitur enim ſimpliciter ATRAMENTUM, quod eo pelles, & alia nigro colore inficiantur, & liquor, quo in pingendis literis, & conſcribendis monumentis, utimur, ſcriptorius niger conficiatur.

Hinc quoque de hoc conficiendo antiquisſimi proſtant verſiculi:

VITRIOLI *quartâ, media ſiet uncia gummi,*
Integra ſit gallæ, ſuper addas octo falerni.

Cur autem VITRIOLUM cum gallâ, non verò ſeparatim nigrum efficiat liquorem ſcriptorium, videatur *ſolertiſſimus & ingenioſiſſimus naturæ ſcrutator Kircherus tomo 2. mundi ſui ſubterranei pag. 12.*

Hic quaſi per tranſennam illud memoratu dignum notamus, quod refert *Nicolaus Monardes lib. 10. in hiſtoriâ ſimplic. medicament. ex novo orbe delatorum Caroli Cluſii pag. 354.* Mirum & jucundum ſpectaculum eſſe in Peruanis provinciis intueri terras varii caloris. Nigram inter illas unam eſſe, quæ in aquam vel vinum immiſſa nunquam ſatis laudandum efficiat atramentum ſcriptorium.

Κατὰ πρόσθεσιν *cum adjectione.* ATRAMENTUM SUTORIUM, judigitatur. Hoc nomine ab antiquis etiam Latinis ſalutatum reperimus, quod ſutores inprimis in coriis nigredine incruſtandis ejus uſu fuerint delectati. Nomen hoc, atramentum

ſutorium

rium *ineptum* vocat *generoſus van Helmont de lithiaſi cap. 8. §. 12.*

Vocatur etiam COPPOROSA, quo nomine appellat *Cardanus.*

Nec his appellationibus fuêre contenti LATINI, ſed more probè vetuſto, & Græcanicæ linguæ nomen civitate Latinâ donarunt, nominantes illud CHALCANTHUM, quâ voce utitur *conſummatiſſimus naturæ bibliothecarius Plinius lib. 34. natur hiſtor. cap. 12.* CHALCANTHES vocatur *Straboni. lib. 3. geogr. pag. 113.* CHALCANTHUS, genere maſculino, legitur apud *Ætium tetrabibl. 1. ſerm. 2.* Unde *Fallopius*, ſub nomine CHALCANTHI omnes ſpecies Miſy, Sory &c. comprehendit, *lib. 4. de aquis medicin.* CALACANTHUM autem herbæ genus eſt, muſcas muresque necans, *autore Barbaro in comment. ad lib. 5. Dioſcor. cap. 105.*

ARABIBUS vocatur ALKAND. ZEG, nomen illud Arabicum *Johannis Serapionis vetuſtiſſimi ſcriptoris de ſimplicibus & mineralibus p. 155.* vertit VITREOLUM *fidiſſimus interpres Abraam Judeus.*

Nec GRÆCI, quibus ingentes verborum divitiæ, deſtituuntur, quo hoc *minerale* reddant nomine. Appellatur iis ὁ Χάλκανθος, ἡ χαλκάνθη, *apud Nicandum in alexipharmac. Henricus Stephanus in theſ. græcæ ling.* τὸ χάλκανθον, quod juxta mentem nonnullorum, uti quidem conjicit *Angelus Sala de ſpiritu vitrioli tract.* idem ſignificatione ponit, ac *flos æris*, propter illam conſangvinitatem, quæ illi cum ære intercedit.

Græci cognationem æris nomine fecere atramento ſutorio, *inquit Plinius lib. 34. cap. 12.* appellant enim χάλκανθον, *quaſi* χαλκοῦ ἄνθος *æris florem* ſeu *efflore ſcentiam* diceres. Hanc nominis rationem impugnat, & differentiam agnoſcit inter χαλκοῦ ἄνθος & χάλκανθον *Medicus ille criticus æternâ famâ dignus Caſpar Hoffmannus in paralipomenis officinalium* ex *ſcholiis novis Johann. Loniceri in 5. Dioſcor. cap. 268.*

Florem enim æris *Dioſcorides*, τῶν ἐπὶ ἰητρικὴν ὕλην, *judicio Galeni de ſimplic. facultatibus*, σπουδασάντων οὐδενὶ δεύτερος, *eorum, qui materiam medicam tractarunt nemini ſecundus*, deſcribit *lib. 5. cap. 88.* Chalcanthum verò *lib. 5 cap. 114. editione Saraceni.*

Utramque facere paginam videtur dictio vernacula GERMANICA, quâ redditur Victriol/Kupffer Waſſer, Vitrioli enim

 eſſentiam

eſſentiam hoc videtur omnium optime detegere, & exprimere.
Alias Vitriola herbæ genus eſt à Græcis Daphnoides dicta. Videſis *Oribaſ ſimplic. lib. 1. cap. 47.*

Errorum ut evitemus ſcopulos, HONONYMIA etiam liberandum prius eſt vocabulum.

Sumitur dictio τȢ VITRIOLI tripliciter.

I. notat ⊖ illud minerale acidum, quod vel nativum, vel factitium, ſuccum illum, qui à *Dioſcoride* & *Plinio* chalcanthum à *Matthiolo* atramentnm & *aliis* atramentum ſutorium dicitur ut habet *Bernhardus Cæſius de mineralibus pag. 243.*

II. *monente eodem* deſignat herbam naſcentem in muris *parietariam* aliis, *Dioſcoridi lib. 4. cap. 86. & ad hunc* locum *commentatori Saraceno p. 86.* ἑλξίνην dictam. *Matthiolo in comm. lib. 4. cap. 81.* Vitriola dicitur. *Itali eam* vocant vitriolo. Dicitur & vitraria. Critica plura vide *apud Rhodium ad Scribon. p. 80.*

An autem per VITRARIAM rectè intelligatur parietaria, ἀκριβῶς diſquirere, nec temporis, nec inſtituti eſt noſtri, ea ſaltim commendamus, quæ accuratiſſimus *Theophraſtus Ereſius in hiſtoria plantarum lib. 6. pag. 524.* nobis reliquit. His, qui vult, addat, quæ recitat *laudatus Hoffmannus de medic. offic. lib. 2. cap. 70.* ubi eam vocat VITREOLARIAM, ſeu URCEOLAREM, quod vitris ſeu urceis mundandis conveniat.

III. VITRIOLUM eſt terminus paracelſiſtarum, cum ad cauſas morborum, anologico quodam modo admittendas, referunt. Sic dicunt epilepſiam habere originem ex ⊖li vapore, vitriolo mercuriali, ſulphure vitrioli narcotico & mendicativo, quod vitriolatâ ſuâ aciditate vel arterias carotidas conſtringendo, ſpiritui vitali ex corde in cerebrum viam denegat; vel cerebrum nimis coarctando, ejusque panniculos vellicando hunc affectum producat.

Sed hanc ſententiam plurimis urgeri difficultatibus, quis non videt?

CAPUT III
definitionem realem proponit.

Nominis definitionem methodice ſequitur realis.

Ut autem veriſſimum eſſe conſvevit in humanis rebus

πολυ-

πολυθρύλλητον illud dicterium: QUOT CAPITA, TOT SENSUS, ita eandem fortunam hanc hoc noſtrum VITRIOLUM cogitur experiri.

Dum enim autores tum *phyſici*, tum *Chimici* toti ſunt in conſtituendo ⊕li genere dubii hùc atque illùc impelluntur.

Hîc enim reperias, qui VITRIOLUM deſcribant per MINERAM FOSSILEM. Hîc audias, qui definiant per SUCCUM CONCRETUM, cujus farinæ eſt *Agricola lib. 3. de natur. foſſil. Scharff. in phyſicis.* Hîc legas qui per GELATUM LIQUOREM, *ceu Dioſcorides lib. 5. cap. 68.* Sunt item alii qui non immerito *judicio b. Sennerti prax. lib. 6. part. 5. cap. 2.* ad SALIS GENERA reducunt.

Quemlibet hic ſuo ſenſu permittimus abundare. Nos ſummorum virorum, inprimis, qui nobis eſt inſtar omnium, *magni noſtri Æſculapii, illuſtris ROLFINCII, Chimici per Europam celeberrimi, Præſidis ſplendidiſſimi, Præceptoris de me meritiſſimi, cui quod habeo, debeo*, veſtigia prementes ſequentem deſcriptionem ſuppeditamus.

VITRIOLUM *eſt ſal minerale, aqueum, æris & ferri indolem in ſe continens, in terræ mineris à naturâ ex ſingulari principiorum concurſu genitum.*

VITRIOLUM eſſe *ſal*, ſive *ſuccum ſalinum concretum*, patet ex ejus naturâ, quàm ferè eandem cum SALE habet. Sic optimè dicitur: ſalia vel *naturâ*, vel *arte* fieri; ſic etiam Vitriolum aliud eſt NATIVUM in terræ cavernis ad modum reliquorum ⊖ium concretum, aut deſtillans ex iis, aliud FACTITIUM, quod ex mineris ſuis chalcanthoſis lapidibus arte & cocturâ extrahitur, uti per cocturam HISPANICUM produci narrant autores, & noſtrum GOSLARIENSE paratur.

Ut ut enim diſtinguatur ⊖ in marinum, foſſile, & artificiale, ⊖ marinum tamen ſpecie à foſſili non differt, licet plus humidi participans mollioris & flavidioris ſubſtantiæ ſit, & foſſilis ſit compactioris & lapideſcentis naturæ, cujus generis ſunt ⊖ *Polonicum*, uti exemplar in pretioſiſſimo *Dn. Præſidis* raritheccio, ſat magni ponderis, lapidis inſtar, eſt videre. Hoc prope Cracoviam exſcin-

am exſcin-

am exſcinditur, cujus fodinæ admirandis ſuis ſubſtructionibus ſubterraneis integram urbem referre videntur, *Calabricum* & *Siculum.* Hæc enim tria genera adeò dura, ut etiam eorum miniſterio palatia exſtruant. Et hæc Sicula ⊖is ſpecies eſt, de quâ loquitur *polyhiſtor Solinus* quando ait, in agro Agrigentino excidunt fruſta (de ⊖le foſſili) ad facies hominum deorumque. Vide quoque *Kircherum mundo ſubterr. part. 1. pag. 298.*

Porro VITRIOLUM SALIS eſſe quoddam genus *ſuffragio autorum graviſſimorum* confirmatur.

Sennertus phyſic. lib. 5. cap. 11. Vitriolum SALIS GENUS appellat mirabilis naturæ. *Billich. in obſerv. & parod. chim. lib. 1. c. 13.*

Quercetanus in tetrade affect. capitis ⊖lis genus eſſe prolixo verborum ornatu exponit.

Subſcribit huic ſententiæ *fidiſſimus Helmontii interpres Oſvvaldus Gremſius de ortu rerum lib. 1. cap. 7.*

Imo ipſe *chimicorum primicerius Paracelſ. lib. de rerum natur. ortu* annuit, Vitriolum ⊖ eſſe, ſed ſui generis & ab aliis ⊖libus diſtinctum, quod etiam repetit *lib. 2. de morbis miner. tr. 3. cap. 1. & lib. 4. philoſ. cap. 6.*

Idem aſſerit *in pharmac. ſpagir. Petrus Poterius Regis Chriſtianiſſimi conſiliarius & medicus quondam celeberrimus pag. 71.*

M. Aurelius Severinus in libello ſolidæ diligentiæ pythia inſcripto, cap. 7. dum ſpecies ⊖is enumerat, etiam noſtrum ⊕lum ⊖ium catologo addere non veretur.

Invehitur quidem A. *Sala in animadverſ. ad ſuos aphoriſm. in Petrum Laurenberg* negando SAL eſſe VITRIOLUM; ſed ſuo ipſe ſe videtur jugulare gladio. Nam in *libello de anatomia ⊕li* definit per ⊖ minerale. Et ſatis nervosè etiam illi reſpondet, & pro titulo ⊖is, tanquam pro aris & focis pugnat *Laurenbergius in animadverſ. ad aphor. Salæ quæſt. 18.* & *defenſione contra Billich. pag. 87.*

De origine SALIUM res non ſatis in aprico eſt conſtituta. Nota ſententia dudum prodiit in vulgus, SALIA produci ex ſuccis (aqueo & terreo) miſtis. Verùm nec hoc ex tripode dictum videtur quammultis rei phyſicæ antiſtitibus; nec minoribus urgeri ſcrupulis. Vide *Matth. Untzerum in tract. de ſale.*

Hinc

Hinc & nobiliſſima illa controverſia, *an mineralia hodienum generentur ?* fluit.

Non deſunt, qui exiſtimant mineralia primo creationis die à Deo eſſe condita, atque ſic citrà ullam generationem novam ad hunc uſque diem permanſiſſe, & nullatenus de novo generari.

Probandi rationem ex eo ſumunt ſcrinio, quòd in ſacro codice, & quidem hiſtoriâ generationis hujus univerſi, mineralium non fiat mentio, & ſic nec iis benedictio multiplicativa ſit addita

Utut autem ex die, quem primum creationis nominant nihil concludi poſſit de mineralium creatione, cum & hîc ſibi non conſtent autorum ſententiæ. Non tamen præter cauſam, lapidum, mineralium & metallorum creationem operibus tertiæ diei annumerari poſſe cenſet *Theologorum jubar, accuratiſſimus Dn. D. Joh. Muſeus in prælect. publicis ad cap. 1. Gen. verſ. 12.* Probabile enim non eſt, terram ſtatim primo die continuiſſe tam pretioſa corpora, ſed tertio demum die cum exſiccaretur & exornaretur, accepiſſe. Nec altero probandi fulcro firmiſſimè nituntur. Nulla enim videtur ſequela: quicquid Moſes non expreſsè nominat, illud non eſt creatum, ſufficit ſanctum Moſen non intendiſſe ſingularium particularem productionem, ſed ſolum oſtendere mundum & omnia in eo creatione primùm incepiſſe, ad quod oſtendendum ſatis fuit indicare, præcipuas ſpecies fuiſſe conditas.

Georgius Agricola de ortu & cauſis ſubterraneorum libro 5, huic quæſtioni occurrit. Non eſt, *ex ejus mente,* ferenda vulgi opinio perridicula, Poëtarumque alicujus fabulæ ſimilis, & omni experimento contraria, quæ ſtatuit non modò ſaxa, ſed in eorum venis, fibris, & commiſſuris metalla & gemmas ac varia terrarum genera, quæcunque hactenus effoſſa ſunt, & nunc, vel poſthac effodientur, in initio mundi Deum ſimul finxiſſe, & creaſſe, nec medio temporis curriculo ulla ex materiis ad id aptis eſſe nata vel renata, neque aliquam vim naturæ ad eorum perpetuitatem machinatum eſſe ſummum rerum opificem.

Contrarium teſtatur experientia.

Mineræ metallorum exciſæ brevi temporis ſpacio novis reſtaurantur incrementis. Mirum, in ſolis plumbi metallis, *inquit Plin. natural. hiſtor. lib. 34. cap. 7.* quod derelicta fertilius reviviſcant. Aurum Corbachiæ creſcit & recreſcit in Weſtphaliâ, in cumulis ſingulis quadrienniis.

Salis fodinæ non exhauriuntur, perpetuo fomite ſe multiplicant. Admiratione dignum adnotat *Garcias ab Horto aromat. hiſtor. lib. 1. cap. 47.* in Indiâ in ſummo ſolo generari adamantes, & duorum & trium annorum ſpacio perfici. Si in fodinâ hoc anno, ad cubiti altitudinem fodias adamantes reperies. Poſt biennium rurſus ſolò excavato ibidem novos invenies adamantes. Sub rupe autem majores inveniuntur.

MINERALE dicitur, quod more aliorum mineralium in ipſis terræ mineris, ſeu penitioribus ſpecubus ac receſſibus ejusdem, tanquam propriâ ſuâ matrice generationis ſuæ capiat primordium. Probat inſuper hanc differentiam *Grembſ. loc. cit. & Sala in anat.* ⊕*li.* Nomen enim inde eſt, quod in minis h. e. venis & fodinis terræ reperiatur, vel è terrâ minerali coquatur dicit *Albert. Kyper. Inſtit. phyſ. l. 5. tom. 2.*

Non arridet *Kypero* diviſio *Alberti M. l. 5. miner. cap. 1.* & *C. Bartholini Syſtem. phyſ. de perfectè mixtis*, mineralium, in metalla, lapides, & mineralia media, cum ſic vitriolum inter media mineralia recenſendum eſſet, ſed potius rejectâ τριχοτομίας obſcuritate diviſionem amplexatus *Agricolæ in princ. lib. 1. de ortu & cauſ. ſubterran. Cardani*, & *Fallopii*, qui dividunt, in terras, ſuccos concretos, metalla, & lapides, & ſic ad ſuccos concretos vitriolum optimè reducitur.

MERCURIUM AQUEUM ineſſe huic ⊖i nemo facile negabit. Ab aquâ enim habet ſplendorem, à terrâ ærosâ, & ♀reo conſiſtentiam & colorem. Uti hæc tria principia facile patebunt iis, qui cultro ſpagirico illud diſſecare docti. Quamdiu hæc tria principia incorrupta tenet copula, & hic mineralis ſuccus immobilis & immutabilis perſiſtit.

Uti nulla poëtarum fabula, celeberrimi cujusdam critici ſuffragio, ferè reperitur, quæ non loco fundamenti aliquid

habeat

habeat veritatis, ſic & ♀ & ♂ amicitiam adumbrant poëtæ.

VITRIOLUM ♂ & ♀ eſt domicilium gratum, & amœnum palatium, tam concordi amicitiâ hæc bina metalla ſibi in hoc ⊖lo junguntur & combinantur, ut ſingulari artificio philoſophorum per ignem (ſic enim ſe appellat *Paracelſus*) bina hæc metalla ex ⊖lo elici, inque hoc transmutari poſſint.

An autem ex ♂ fieri poſſit ♀ hic non diſputamus, cum hæc nec chimicas, nec medicas ſapiant thecas, ſed potius Alchimiſtarum redoleant fumos. Qui autem talia legere avet eum ablegamus ad *Minder. p. 9.* & ea quæ, ut ſolet, accuratiſſimè commentatus eſt *Chimicus celeberrimus Dn. Præſ. diſſert chim. de ♀ & ♂ cap. 2. & Kircherus mund. ſubterr. tom. 1. p. 319. Grembſ. lib. 1. de ortu rerum c. 7. § 46.*

Coquunt & bulliunt ferrum in ▽ ⊖li, ſicque ferrum corroditur ab ▽ ⊖li, & hujus beneficio ferrum attrahit cuprum in ⊖li viſceribus contentum, cum tamen nulla ſit facta mutatio, *Borell. cent. 3. obſerv. 73.*

Vitriolum ex omnibus metallis elici poſſe ſingulari artificio nonnulli clamant, ſed periculoſæ & dubiæ plena res eſt aleæ.

⊖li affrictione ferrum mutari in æs, negat *Henricus Regius medicus & phil. Ultrajectinus phil. natur. lib. 3. cap. 9. p. 204.*

His itaque ſupra enarratis principiis non caſu, quæ ſententia arriſit *Salæ quæſt. 17.* ſed ſingulari & determinato naturæ in terræ viſceribus concurſu combinatis, natales ſuos debet hæc VITRIOLACEI SALIS ſpecies.

CAPUT IV
differentias adducit.

DIfferentiæ, ſi à *Dioſcoride* petendæ, tres conſtitui poſſunt. Triplex enim *ille lib. 5. cap. 114. edit. Saraceni* agnoſcit: σταλακτικὸν *ſtillatitium*, πηκτὸν *concretum*, & ἑφθὸν *coctile*.

I. STILLATITIUM eſt VITRIOLUM, σταλακτικὸν, alias λογχωτὸν *quaſi lanceatum* dictum.

Χάλκανθον, *inquit dioſcorides*, τῷ μὲν γένει ἓν καὶ ταυτὸν ὑπάρχει. ὑγρὸν γὰρ ἐστι πεπηγός. εἰ δικὰς δὲ ἔχει διαφορὰς τρεῖς. τὸ μὲν γὰρ κατὰ σταλαγμὸν διηθουμένων ὑγρῶν εἴς τινας ὑπονόμους συνίσταται. ὅθεν καὶ σταλακτὶς καλεῖται ὑπὸ τῶν τὰ Κυπριακὰ μέταλλα

ἐργαζομένων. Πετεήσιος δὲ αὐτὸ καλεῖ πινάριον· ἄλλοι δὲ σταλακτικόν. *Atramentum ſutorium genere quidem unum eſt, ſiquidem liquor eſt concretus, at ſpeciales differentias tres habet. Enimvero unum, liquoribus ſtillatim in cuniculos quosdam percolatis, concreſcit: quamobrem ab iis qui Cypria metalla conficiunt* STILLATITIUM *appellatur. Peteeſius hoc ipſum pinarium vocat,* (nomen τοῦ πιναρίου *in theſauro græcæ linguæ Henricus Stephanus* vertit ſordidum,) *alii ſtalacticum , id eſt, ſtillatitium, vocant.*

II. CONCRETUM πηκτόν. Τὸ δὲ , *pergit*, ἀφανῶς λιμναζόμενον ἐν σπηλαίοις ἔπειτα μεταχεόμενον εἰς βόθρους τὴν πῆξιν λαμβάνει. ὃ δὴ καὶ πηκτὸν ἰδίως ὀνομάζεται. *Alterum latenter ſtagnat in ſpeluncis, poſteaque tranſfuſum in excavatas ſcrobes , concrementum capeſſit, hoc idcirco pectum,* id eſt, *concretitium , propriè dicitur.*

III. COCTILE ἑφθόν. τὸ δὲ τρίτον καλεῖται μὲν ἑφθὸν σκευάζεται δὲ ἐν Ἰσπανία. *Tertium coctilè dicitur ; & in Hiſpaniâ conficitur.*

Plinius, naturæ ille urinator tàm fidelis, ut inter perſcrutandos Veſuvii ignes miſerè perierit, duas indigitat differentias *lib. 34. naturalis hiſtoriæ cap. 12.* Fit; *inquit*, chalcanthum in Hiſpaniâ è puteis, ſtagniſve, id genus aquæ habentibus. Decoquitur cum admiſtâ dulci pari menſurâ, & in piſcinas ligneas effunditur. Immobilibus ſuper has tranſtris dependent reſtes lapillis extentæ , quibus adhæreſcit limus vitreis acinis imaginem quandam uvæ reddit. Exemtum ita ſiccatur XXX diebus. Color eſt coeruleus, perquam ſpectabili nitore, vitrumque eſſe creditur. Fit & pluribus modis genere eo in ſcrobes cavato: quarum è lateribus deſtillantes hyberno gelu ſtrias ſtalagmiam vocant, neque eſt purius aliud. Fit & aliis modis. Ideo duplicem quidam agnoſcunt differentiam & appellant FOSSILE, aut FACTITIUM.

Matthiolus duas etiam agnoſcit differentias, & alterum VITRIOLUM FOSSILE, per ſe in terræ viſceribus concretum colore vario, alterum FACTITIUM appellat. Et ſic *nativum* dicitur , quod in cavernis ſive fodinis terræ eſt concretum, aut ex illis deſtillat. *Factitium* quod ex lapidibus illis chalcanthoſis

canthoſis, ex terrâ illâ rubiginosâ & æruginosâ, aut cinereâ, maculis viridibus ac rubris interſtinctâ, coquitur.

His omnibus una eſt natura, facitque diſcrimen ſola conſiſtendi & concreſcendi differentia.

Hodiernis temporibus nobis placet triplicem, ratione PRODUCTIONIS, differentiam aſſignare.

I. eſt quod NATURA fit. Ad quam ſpeciem non incommodè referri poſſunt priores illæ *Dioſcorideæ* ſpecies STILLATITIUM & CONCRETUM, hæc enim fiunt nullâ arte extrinſecus accedente. STILLATITII, ſive NATIVI *Vitrioli* ſpecies etiam eſt in metalliferis Rammeli montis, propè Goslariam, civitatem Imperii vetuſtiſſimam, patriam noſtram cariſſimam, fodinis. In plerisque enim hujus loci fodinis aëre externo pluvioſo nimiâ humiditate aquosâ omnia madent, humiditas illa pedetentim undique deſtillat, & in Rammelo monte ex vitrioli terrâ ⊖laceam adſciſcit naturam, guttatimque decidendo in ſtirias oblongas, coeruleas, & albas, viridesque concreſcit in multâ copiâ, id quod verum VITRIOLUM NATIVUM. Adi *exaſciatæ eruditionis & multijugæ experientiæ libellum Excellentiſſimi Doct. Stokhauſii, Medici experientiſſimi, & Phyſici liberæ imperialis Goslariæ meritiſſimi, patroni ætatem colendi, de aſthmate montano.*

Ad hanc ſpeciem etiam illa reduci poteſt chalcanthi ſpecies, quam ſponte in terræ viſceribus natam, & ex agro Tridentino ſibi miſſam, teſtatur *Matthiolus.*

Huc ſpectat etiam CONCRETUM Cyprium, cujus parandi modum ſe jucundo oculorum intuitu vidiſſe prolixo admodum ſermone, refert *Galenus lib. 9. de medicam facult.* οἶκος, *inquit,* ἦν μέγας μὲν, οὐ μὴν ὑψηλός γε προκείμενος τῆς εἰς τὸ μέταλλον εἰσόδου· καὶ τούτου τοῦ οἴκου κατὰ τὸν ἀριστερὸν τοῖχον, ὅς τις ἦν τοῖς εἰσιοῦσιν, κατὰ χεῖρα δεξιὰν, ἐξεκεκόλαπτο διώρυξ εἰς τὸν συνεχῆ λόφον, εὖρος μὲν ὡς ψαύειν ἀλλήλων τρεῖς ἄνδρας, ὕψος δὲ, ὡς τὸν μακρότατον ἄνθρωπον ὀρθὸν δύνασθαι βαδίζειν. ἡ δὲ διώρυξ αὕτη καταντης μὲν, οὐ μὴν ὀξεῖα γε καὶ κρημνώδης. ἐπὶ τῷ τέλει δὲ αὐτῆς, οὔσης ὡς σταδιαίας λάκκος ὕδατος χλωροῦ τε καὶ παχέος χλιαροῦ μεστὸς ἦν. ἐν ἁπάσῃ δὲ τῇ κατὰ βάσει θερμασία παραπλησία τῇ

κατὰ

κατὰ τοὺς πρώτους οἴκους τῶν βαλανείων οὓς εἰώθασιν προμαλακτήρια καλεῖν. Τὸ δὲ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀθροιζόμενον ὕδωρ, πλῆθος ἦν ἀμφορέων ῥωμαικῶν ὡς ὀκτώ. κατὰ σταγόνας μικραῖς ἐν ταῖς τέτλαρσιν, καὶ εἴκοσιν ὥραις ὅλης τῆς ἡμέρας, καὶ νυκτὸς ἐκ τοῦ διατετραμένου λόφου καταφερόμενον ἀναφέροντες οὖν τὸ ὕδωρ τοῦτο πεδῆταί τινες, ἐνέβαλον πυέλοις τετραγώνοις κατὰ τὸν προκείμενον οἶκον, ἐκ κεραμίων γεγονυίαις ἐν αἷς πηγνύμενος ἡμέραις ὀλίγαις, ἐγίνετο χάλκανθος. *Domus erat magna quidem, ſed humilis ingreſſui in metallum objecta. Ad parietem autem domus ſiniſtrum qui erat ingredientibus dexter, effoſſus erat ſpecus in continentem collem, eâ latitudine ut tres ſeſe viri in eo contingerent: tantâ verò altitudine, ut viro ſummè procero recto liceret incedere. Specus hic declivis quidem erat, non tamen præceps ac præruptus. Porro ad finem ejus quaſi in ſtadium porrecti lacus erat aquæ viridis & craſſæ tepentis plenus. At in toto deſcenſu calor ſimilis, qualis in primis balneorum ædibus percipitur, quas quod in eis corpora præmoliri ſoleant, promalacteria appellare conſveverunt. Aqua vero quotidie guttatim ex pertuſo colle deſtillans 24. horis, totius diei ac noctis colligi ſolet ad amphoras Romanas quaſi octo. Eam vincti quidam in piſcinas quasdam quadratas fictiles in domo ad ingreſſum poſita, ſitas efferebant, in quibus paucis diebus concreſcebat, fiebat CHALCANTHUS.*

II. quod ARTE fit coctoriâ. Hujus farinæ eſt cujus meminit *Dioſcorides loc. cit.* σκευὴν, *inquit* ἔχει τοιαύτην ὕδατι διέντες αὐτὸ ἕψουσιν, εἶτα εἰς τὰς δεξαμενὰς κατεράσαντες, ἐῶσι. τοῦτο δὴ πήγνυται τεταγμέναις ἡμέραις εἰς πολλὰ διαιρούμενον κυβοειδῆ σχήματα, βοτρυδὸν ἀλλήλοις προσεχόμενα. *Præparatio talis. Aquam decoquunt, mox in piſcinas effundunt, & reſidere patiuntur. Hoc ſtatis diebus cogitur, & in complures dividitur teſſellatas formulas, quæ racematim inter ſe cohæreſcunt.*

Alium parandi modum *Matthiolus in commento* in ſcenam de Sinenſi producit. Effoſſam CHALCANTHI venam ſuper aream quandam exaggerant, ubi per ſex menſes imbribus, roribus & pruinis macerandam relinquunt. Poſt ſex alios menſes tectum ſuperponunt, ne amplius pluviis diluatur neque ſolibus inareſcat. Poſt eligunt locum, quo facile ducantur aquæ, efficiuntque lacum, in

hunc

hunc lacum aſportant CHALCANTHI materiam, & fermentare ſinunt, poſtea aquam chalcanthoſam hauriunt, illamque in plumbeos locos conjiciunt, & ſtatutis horis, Vulcano ſubminiſtrato, excoquunt poſt in alveolos quosdam ligneos digerunt, ubi tandem concreſcit aluminis rupei modo.

Non omnis fert omnia tellus.

Hoc dictum adeò verum ut inſuper ejus veritatem, confirmare videatur noſtri VITRIOLI proventus. Si enim pauliſper in ampliſſimos naturæ campos circumſpicias, paucas ſanè regiones, hoc egregio naturæ munere gaudere reperias.

Inferior Saxonia hoc privilegio etiam gaudet, inque hac patria noſtra dulciſſima, ſæpius laudata pervetuſta imperialis urbs, propter Herciniæ ſylvam poſita, GOSLARIA. Hanc urbem deſuper ſpectat mons Rammelus dictus,

qui reliquos inter montes caput extulit omnes.

Hic in gremio, interioribusque viſceribus divites quasdam, & olim ſat opulentiferas, argenti, plumbi, ærisque venas habet. His metallorum ſeminiis etiam adjuncta eſt TERRA VITRIOLACEA, idiomate vernaculo audit Kupfferrauch/ quæ ſimul à foſſoribus metallicis cum reliquis metallis luci exponitur. Hanc terram ad officinas in urbe cocturæ vitrioli deſtinatas delatam, additâ aquâ, facto lixivio, coquunt, & ſic SAL hoc MINERALE eliciunt, ad eundem ferè modum, quem jam tum ex *Matthiolo* adduximus. Hoc in multas dimiſſum oras, non ſolum natali ſuo ſolo famam conciliat, ſed & eruditis, monumenta conſcripturis, & opificibus utilem navat operam.

Quamplurimos iter illuc adornantes ad ocularem aſpectum hic hoc ⊖ minerale modus conficiendi elegantiſſimus invitat, nec eos ſine ſummâ aſpectus & cognitionis jucunditate dimittit.

Commendavit jam olim eo nomine, ſolidioris ſcientiæ & multifariæ experientiæ ergò per mare per terras ſuſcipientibus remota, itinera & naturæ intimiora ſcrutantibus, *acutiſſimus ille philoſophus pariter, & ſui ſeculi non ignobilis medicus L. Grillus, oratione de ſuis peregrinationibus elegantiſſimâ.* Goslariam

am perveni, *inquit*, ubi veteres & inſignes fodinæ ſunt, quas HENRICUS AUCEPS excitavit, inter varia metalla etiam *atramentum ſutorium* reddentes.

Cæterum, *pergit*, commendatiſſimas ſibi has fodinas habeant, huncque locum, & medici, & phyſici, *qui præter vulgus ſapere conantur.* In iis enim naſcuntur præſtantiſſima quædam remedia, & apud Græcos jam olim in ſummo habita pretio, adeò ut horum gratiâ, vel ipſe *medicorum coryphæus Galenus* in Inſulam Cyprum navigârit, indolem, naturam, ac locum patrium CHALCANTHI ſuis oculis perluſtratarus. Ut hoc etiam innoteſcit *ex Galeno ipſo lib. 9. de ſimpl. medic. facult.*

Sed plus forſan à ⊕lo noſtro aberravimus, redeamus ad ſcopum.

Fit igitur & GOLARIENSE per cocturam, unde rectè ſub nomine & numero *coctilis* VITRIOLI recenſetur. Poſtquam, ut ſupra dictum, illa terra vitriolata ex Rammelo monte, in officinas coctorias delata, facto lixivio, in plumbeo aheno Vulcano totum committunt negotium. Hic poſtquam fideliter ſuam navavit operam, perque definitum coctioni tempus crepitantes ſubminiſtravit flammas liquor ille coctus exhauritur, in cados ligneos inſignis peripheriæ & altitudinis transmittitur. Super hæc vaſa lignea adornantur tranſtrorum in morem trabeculæ perforatæ. His foraminibus adaptantur, & firmantur calami arundinis (Teichrohr) qui ad fundum uſque vaſis immittuntur. Ubi itaque congeleſcit, poſt aliquod temporis intervallum adhærent calamis cryſtalli vitriolati, eximium oculis præbentes ſolamen pelluciditate ſuâ cum ſapphirinâ gemmâ decertantes.

In PLUMBEO coquitur AHENO. Cætera enim metalla omnia præter plumbum corrodere teſtatur *ſæpius laudatus Matthiolus loc. cit.* Hujus rei rationem reddit *Kircherus in mundi ſui ſubterr. tomo. 1. lib. 6. ſect. 4. cap. 3.* quod mercurii, quo pollet, miſcella, plumbumque dulce acerrimum vitrioli ſuccum retundet, compeſcatque. Summa ineſt dulcedo plumbo, imo ipſe fumus in plumbariis officinis herciniæ dulcis eſt, ſupra quam credi poteſt, aſſerente *Excell. Dn. D. Stokhuſio de morbo metallico pag. 15.*

pag. 15. Dulcedo ineſt ♄no inſeparabilis, uti patet ex minio, in præparatione ſacchari ſaturni. Hîc ſi liquorem tamdiu velis affundere, donec non ampliùs dulceſcat, eſſet hoc æternæ operationis, uti ex diſcurſu *Experient. Dn. Præſidis in collegio chimico ſupra laudato* recordamur.

Erroris alicujus accuſare *Matthiolum* conatur *Billichius in obſerv. & paradox. chim. lib. 1. cap. 13.* docentem: omnia metalla corrodere præter plumbum, cum nec argentum, nec aurum & ſtannum corrodat, cauſamque aſſumti in eum uſum plumbi fuiſſe non periculum eroſionis, ſed metalli vilitatem, cum pretioſiora nequicquam redimant impenſam.

Sed hæc Billichiana aſſertio videtur quotidianâ experientiâ, & plurimis ex arte præparatis poſſe retundi.

III. demum hujus generis ſpecies, quæ producitur

ARTE & NATURA, cujusmodi eſt ⊖lum artificiale.

Sub hâc ſpecie continentur omnia ⊖la artificialia, quæ, ſi eventus reſpondeat voto, ex ſingulis metallis elicere nonnulli ſperant.

Libavius in ſyntagmate arcanorum lib. 12. cap. 42. omnium metallorum vitriola proponit.

Vitrioli cujusdam lunaris, nomine cryſtallorum ☽æ, mentionem facit *Schroderus in pharmacop. lib. 3. cap. 10.* Singularis alicujus ⊖li lunaris meminit etiam *Crugenerus in vere chimico.*

Vitriolum ♀ris, magnas laudes habet. Ex ℔j ♀, vix ℥ij ⊖li acquires.

Modum parandi ſuccinctè deſcribit *ars chimica Rolfinciana, & diſſertatio de ♂ & ♀ cap. 5.* omnisque operationis cardo vertitur in legitimâ ♀ris calcinatione, hanc niſi ex arte impetraveris, fruſtrà & incaſſum operam navabis. Fit in pyxide cæmentatoriâ. Adornandum S. S. S. ex bracteis ♀ris & pulvere ♀ris. Vas clauditur glutine hermetico, calcinatur Vulcano circulari, obſervatis juſtis gradibus hac calcinatione laminæ ♀ris in calcem nigriuſculam rediguntur.

Calx hæc frigefacta, in ollâ non vitreatâ ſpathulâ ad latera hinc inde agitatur. Pulveriſatum eximitur, iterum cum legitimâ ♀ris proportione calcinatur, calcinatione ſæ-

piuſcule

piuſculè iterandâ demum ferventiſſimâ affusâ calx liqueſcit, & ▽ coeruleum colorem imbuit.

Hæc colata, in vaſe figulino igne ad medium exhalet, donec cuticula ſeſe manifeſtet. Reponenda in locum frigidiorem, ubi in elegantisſimos transparentes cryſtallos ſapphirinos concreſcat. Alium proceſſum vide apud *Kircherum mundo ſubterraneo, in arte chimiurgicâ pag. 437.* & plures alios non contemnendos *in pharmacop. Poterii.*

Producitur etiam ex ♂te, arte ſpagiricâ VITRIOLUM viridiuſculum *Chim. Rolf. lib. 5. ſect. 1. artic. 4. cap. 1.*

En! ſingularem & planè novum compendioſioremque operandi modum! quem *æternum noſtrum decus, Chimiater ſine pari, Rolfincius,* hactenus in arcanis habuit, nunc autem ejus copiam fecit, quo ſæpiſſimè felicem aſſecuti ſumus ſcopum

℞. limaturæ ♂ puriſſimæ q. v.

⁓ ⊕li, affunde ut ſupereminеat tres digitos, in vitro lati orificii. Pone in leniſſimam digeſtionem. Agit ⁓ ⊕li in ♂tem & fit ebullitio cum ſuſurro, & ingrato odore. Stent ſaltim per unicam horum, poſt decantetur liquor. Si enim nimis diu ſuper ♂te manet, fit ⊕lum nigriuſculum. Filtratum quod eſt, ponatur in leni calore, poſt cryſtalli elegantiſſimi concreſcent in frigido.

Hermaphroditicum Vitriolum, quod dicitur, fit ex ♂ & ♀re.

⊕li ♂ & ♀ris rari meminit quidem *Bartholinus in ciſtâ medicâ pag. 637.* ſed deſcriptionem occultat.

Quædam etiam Vitrioli factitii ſpecies, Arabicum viride, deſcribitur *in theatro chimico vol. 3. p. 105.*

Crollius in baſil. chim. & *Arnoldus Kernerus Doctor Lipſienſis ſect. 5. tetr. chim.* mentionem faciunt Vitrioli FACTITII *Sileſiaci* his verbis: Illud Vitriolum in Sileſiâ in mineris auff den Zeugmantell/ plurimi faciendum, conficitur enim ex minera ☉, ☽, ♂ & ♀. Hæc tamen ſpecies hodie planè ignobilis, aut paucis nota.

COLORIS ratione. Colore varietas occurrit ſpecioſiſſima. Proſtat *flavum, cæruleum, album,* hoc, argumento violæ albæ, Leucojum nonnulli appellant, quale *album* in quadam officinâ coctoriâ etiam Goslariæ paratur, *viride* & *glaucum.* Datur etiam *rufum,* quod foſſitiam chalcitidem nonnulli haud abs re, *teſte Minderero,* ſunt opinati.

Vitriolum

Vitriolum *rubrum* in ſe continere mirabilem fontem Bollenſem, quacunque ratione per deſcenſum aqua illius deſtilletur, confirmat *Joh. Bauhinus in hiſtoriâ novi, & mirabilis fontis balneique Bollenſis lib. 1. cap. 1. & 11.*

Sic à reliquis ſpeciebus colore differt. MISY ſtatuitur coloris ſubflaveſcentis. SORI gryſcum imitatur. MELANTERIA nigrum. Plura qui ſcire avet, evolvat *Dioſcoridem lib. 5. propriis capitibus.*

Helmontius de lithiaſi cap. 8. inutiles vocat has diſtinctiones. Cæterum, *inquit*, chalcitis, miſy, ſory, melanteria Græcorum hodie periere, tanquam venarum cupri diſtinctiones inutiles: nam Græci tantum alphabetarii, reſpectuque Germanorum, ignavum, quicquid veteres de re metallicâ poſteris prodidere.

Chalcitidem quidem, non tamen rem ipſam explicare *Dioſcoridem lib. 5. cap. 115.* inquit *Rhodius*, meliùs *Plinium lib. 34. cap. 17.* Chalcitin vocare lapidem ex quo & ipſum æs coquitur. Et hac fortaſſis mente *Salmaſium in Solinum* ſcripſiſſe, arenam ex quâ æs fundebatur, qui arbitretur, haud à januâ aberrârit.

Miſy, vulgo quidem ignotum, in Iluâ tamen inſulâ reperiri, hujusque copiam ſibi factam à *Johanne Baptiſtâ Soncino primo Piſani Athenæi medico*, refert *Joh. Rhodius in Scribonium compoſ. 34.* Miſy duplex reperitur Cyprium & Ægyptiacum. Cyprium affirmat *Salmaſius in Solinum*, eſſe Vitriolum Romanum lutei coloris.

Sory, Ægyptium maximè laudatum reperimus à *Plinio lib. 30. cap. 12.* Hodie ignotum putat *Bernardus Cæſius de mineralibus lib. 2. cap. 4. ſect. 16.*

Μελαντηρίαν *Æginetæ interpres lib. 7. cap. 3. & Cæſalpinus de rebus metallicis lib. 1. cap. 22.* reddidere: atramentum metallicum. Ignotis accenſet *Cæſius*.

Cæterum ut multa alia in medico foro, quæ vocantur ſimplicia, colorem nativum facile perdere ſolent, ſic VITRIOLI colores maximè ſunt inſtabiles. Poteſt enim id, quod ex viridi palluit, pòſt album & citrinum evaſit, reddito tandem humore rurſum videſcere.

Vitriolum ſi aëris blandimentis, & ſolis radiis exponitur,

 ſponte

ſpontè in miſy, deinde ſory, transmutari videmus. Hoc contingit in officinis, ubi Vitriolum alias inter merces venale exponunt. Hanc ſententiam propriâ experientia edoctus confirmat *Pergamenus* ipſe, qui ſe retuliſſe Miſyos glebam ex Cypro, *lib. 9. de ſimpl. med facult.* refert, quæ ſucceſſu temporis in muſeo in ſory converſa. Experimentum hoc certum eſſe, experiatur qui velit, ſi ⊕lum leni fornacis igne exponat. Chalcanthum etiam longiori temporis tractu in chalcitidem tranſire, *autor eſt Ægineta lib. 7. cap. 3*

Hæ igitur ſpecies, differunt tantùm ſecundùm magis & minùs, imò tantum eſt conſortium inter has quatuor ſpecies chalcanthi, ut facilè ex unâ ſpecie corruptâ generetur altera. *Gabriel Fallop. tract. de Thermis.*

LOCORUM ratione.

CYPRIUM, reperitur in inſulâ maris Ægæi Cypro, olim, ob fertilitatem inſignem, MACARIA dictâ. Ad hanc oceani inſulam ipſe Galenus, ut ipſi de conficiendi modo & ingenio chalcanthi conſtaret, navigavit. Hoc venas quasdam auri habere, autor eſt *Mazotta de triplici philoſ. lib. 2.*

ROMANUM, miſy vocatum à *Cardano de ſubtil. lib. 5. p. 162.* dictum non quod in Romano agro oriatur. Romæ nullum foditur, Romæ nullum ortum eſt, *inquit Glückradius ad Beguinum.* Errorem hunc eſſe veterum, *ait Andreas Baccius, civis Romanus lib. 5. de thermis cap. 12.* Dictum tantum eſſe in honorem Romæ, ut ita famoſiſſima Roma, conſveto ſcriptorum more, pro Italiâ accipiatur. Sed reperiri in orâ Campaniæ, Montærana, à copiâ æris, dicta. Romanum id eſt, judicio *Cæſalpini lib. 1. cap. 22.* quod Bagnareæ in Italiâ conficitur.

HISPANICUM, ex Hiſpaniâ regione Europæ occidentali.

HUNGARICUM, in notiſſimâ hac tempeſtate regione Hungariâ reperitur.

GOSLARENSI ex antecedentibus natales patebunt.

ANGLICUM, ex potentiſſimo Angliæ, inſulæ maris ſeptentrionalis, regno transmittitur.

GALLICUM, in agro Lugdunenſi quod provenit, laudat *Poterius.*

VIRGI-

VIRGINIANUM, cujus mentionem facit, *autor deſcriptionis Virgineæ, inſulæ, ab Anglis detectæ, germanicæ pag. 8.*

VIRIUM ratione.

Sic aliud dicitur *epilepticum*, aliud *apoplecticum*, item *lunare*, *ſolare*, *martiale* &c. pro uſu ejus in ejusmodi affectibus.

De Vitriolo hoc mirabile refert *Grembs. lib. de ort. rerum cap. 7. §. 38.* quod poſitum juxta ſuccinum, omnem colorem & acredinem inviſibiliter amittat.

Mirandum etiam, quod *Baricellus hortulo geniali pag. 147.* refert: Rhaſes, *inquit, 25. contin. cap. 24.* ſcribit, ſe habuiſſe amicum quendam, qui potatâ vitrioli ʒj, propè pilos omnes per noctem, quos in capite habebat, amiſit. Sit fides penes ipſos hos autores.

CAPUT V
delectum, temperamentum, vires proponit.

D*Ioſcoridis, loco ſæpiùs cit.* judicium tale eſt: Ἄριστον δὲ αὐτοῦ, *inquit*, ἡγήτεον τὸ κυάνεον, καὶ βαρὺ, πηκτόν τε καὶ διαυγές. οἷόν ἐστι τὸ σταλακτικόν. *Optimum cenſetur, quod cœruleum eſt, ac ponderoſum, denſum, & translucens: cujusmodi ſtillatitium.* ἐχόμενον δὲ τὸ πηκτόν. *Proximum concretitium.* Τὸ δὲ ἑφθὸν πρὸς μὲν βαφὰς καὶ μελάσματα ἐπιτηδεότερον τῶν ἄλλων δοκεῖ εἶναι. πρὸς δὲ ἰατρικὴν ἀσθενέστερον ἡ πεῖρα δείκνυσι. *Coctile inficiandis denigrandisque pannis aptius cæteris eſſe compertum eſt, ſed ad medicinæ uſum invalidius eſſe, experimenta docent.*

In eligendo VITRIOLO chimici non conſentiunt. *Paracelſus* κριτήρια bonitatis talia adſignat.

I. Si VITRIOLUM admovetur & affricatur cultro, ſeu ferreæ laminæ levigatæ & politæ, & contactu tingit, rubroque inficit colore, nullo igne accedente, id optimum judicatur.

II. Probabilius ſignum laudatisſimi VITRIOLI conſtituit, ſi id crudum per os exhibitum vehementisſimè ἄνω & κάτω purget, præprimis ſi vermes debellat, & expellat.

III. Ex ſuâ ſententiâ, bonitatis indicium, ſi ferrum in cuprum transmutet, & quo citiùs transmutet, eò melius

IV. Ex colorum elegantiâ etiam poſtulat κριτήρια. Nam ſapphirinum cœruleum ad medicum uſum exoptat, ſmaragdinum vero alchimiſticis transmutationibus commendat.

V. Nec ignobile, nec contemnendum virtutis indicium apud ſcriptores chimicos, & experientiam audit, ſi VITRIOLUM, cum gallis miſtum, atramentum ſutorium præſtet ſaturatisſimum.

VI. *Beguinus in tyrocinio ſuo chimico*, hoc addit bonitatis κριτήριον, ſi diutiùs ignem ſuſtinere & ferre valeat, antequam ultimos effundat ſpiritus

Salæ teſtimonium ſi appeteremus, ipſumque loquentem ad pedes noſtros advocemus, ſanè hâc uteretur oratione. Ad electionem, quod ſpectat, tres principales ſpecies in uſu habentur vulgatisſimo, Ungaricum, Cyprium & Romanum. Vitrioli ſpecies, *pergit prælaudatus Angelus Sala*, Goslariæ quæ reperitur operatione non multùm à tribus illis, quorum mentionem fecimus abſimilis. Utra alteri præferenda ſpagiricorum judicio relinquo.

Raimundus Mindererus, Doctor quondam medicus Auguſtanus pannonicum, ſive Ungaricum eligit. Concludit tamen, *in fine capitis ſecundi*, ad medicamenta præſtare cœruleum, ad cœteros uſus virideſcens. Judicium tamen penes experientiam relinquit.

Qui enim in COLORE quærunt bonitatis indicia, alii eligunt cœruleum, alii præferunt viride cœruleo.

Oſvvaldus Crollius in baſil. chimicâ, delectum hunc parvi æſtimat, contrà ac *Hartmannus in notis pag. 226. editione Genevenſi*, qui præfert viride cœruleo, nulli primas denegare audet, ſed perinde eſſe, quod ſuo quisque judicio elegerit, decretum relinquit. Color lazureus ⊖li plerumque præfertur viridi, fortè, *Helmontii quidem judicio*, quod ille oculis magis arrideat; Sed hæc ratio nihili. Facillimo negotio ſimplicium impoſtores ex viridi lazureum mentiuntur.

Hinc etiam reprehendit illos, qui Vitriolum factitium ex ♀re, eligant præ vulgari, moti ſolâ coloris ſuavitate. Comperi, *inquit Baptiſta van Helmont*, Vitriolum è ♀re factum longè pauperius eſſe foſſili in medendo, quod tamen pace paracelſi,

addit

addit, dixerim, ignavius vulgari. Foſſile item, cui plurimum ineſt cupri pigrius eſſe vulgari. Et ſic de *Helmontii* ſententiâ omnibus palmam dubiam redderet VULGARE GOSLARIENSE.

Olim ROMANUM, quod Martiale ſtatuitur, ex terrâ enim illâ, in quâ abundat hoc, admoto magnete attraximus multas ferri micas, judicium certè ferreæ mineræ, *inquit medicus quondam Romanus P. Caſtellus in epiſtol. medicinal. pag. 102.* præ omnibus Vitrioli ſpeciebus maximoperè traxerunt in uſum medicum.

Chalcanthum coctum VIRIDE Romano omnino æquiparandum eſſe, monet *Muſeum Calceolarienſe pag. 474.*

CYPRIUM etiam laudis ſuæ buccinatores repperit ſatis multos, & ſummis encomiis mactatum eſt.

Poſt etiam UNGARICUM in maximo floruit pretio.

Hîc audias item alios, qui rerum ſaporibus multum tribuunt, qui ex SAPORIS diverſitate bonitatis ſigna derivare non erubeſcant. Et quidem id quod acriùs linguam vellicet, & acore quodam aſtringente fauces afficiat, eligunt.

Tanta ergò eſt eligendi varietas & diſſenſus!

Nobiles quidem ſunt ſpecies, quæ in exteris illis regionibus proveniunt, ſed cùm raró, vel nunquam puræ & ſinceræ, ceu hoc, ſi opus & animus eſſet, neſcio quot ſcriptorum experientiâ & *αὐτοψία*, declarare non eſſet nobis difficile, ſed ſemper adulteratæ & corruptæ ex auri ſacrâ fame, ad nos deferantur, omnium experientisſimorum chimicorum conſenſu his in locis ad uſum Hermeticum eſſe GOSLARIENSE, confirmatur. Vide, quæ hanc in rem proponit *experientiſſimus chimicus, eminentiſſimus Dn. Præſes, ordine & methodo febrium generali, pag. 136.*

Hoc Vulcano diuturniori committatur, & per aliquot dies naturales ignis excutiatur tyrannide, niſi enim ignem continuaveris, ne ſumtus quidem impenſos reponet, nam Vitriolum, *teſte Rolfincio*, inexhauſtus eſt theſaurus, etiam reſpondebit voto. **Zu der Artzney iſt nützlich zugebrauchen** Vitriolum Romanum, **wiewohl der von Goßlar / den Italiäniſchen ſchier über trifft**, judicium

eſt

eſt *medici celeberrimi Johannis Theodori Tabernæmontani,in indice inſigni affixo* dem Artzneybuch *Chriſtophori Wirſungi,à ſe editi, anno 1588.*

TEMPERAMENTUM *Vitrioli*,pomumEridos in ſcholis,tùm phyſicorum, tùm medicorum, qui appellare velit, illum haud à vero aberrare, putaremus. Huic enim noſtro vitriolo certam asſignare temperiem, res non infimi eſt ſubſellii. Nec immerito nobis cum *primicerio & medicorum conditore*,uti eum vocat *Seneca epiſt 95.Hippocrate*,ex *1.aphor.1.* *ἡ μὲν κρίσις χαλεπὴ, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερή,Judicium difficile!experientia periculoſa!*liceret exclamare! Hîc enim

incidit in ſcyllam, qui vult vitare charybdin.

Dioſcoridem,avitum illum ſcriptorem,ſi audiamus,*χάλκανθον, inquit, δύναται στύφειν, θερμαίνειν, ἐσχαροῦν, valet chalcanthum aſtringere, calefacere, & cruſtas inducere.*

Pergamenus lib.9.ſimplic.med.facultat.θαυμάσαι δὲ ἔστιν,ſcribit ἐπὶ τοῦ φαρμάκου τούτου πῶς ἰσχυροτάτῃ στύψει μέμικται θερμότης οὐκ ἀγεννής. Cæterum mirari ſubit de hoc medicamento,quo pacto vehementiſſimæ adſtrictioni admiſta ſit caliditas non inſtrenua. Prægnantes autem ſuæ admirationis habebat cauſas. Inhærebat enim ſoli cortici, nucleum, ſive interiora non attigit. Si enim modùm ſeparandi chimicum & penetrandi in interiora, quem tamen tàm anxiè ſibi exoptavit, *uti patet ex ejus verbis, ubi de aceto diſſerit*, calluiſſet, etiam interiores vitrioli medullas ſcrutatus fuiſſet, oppidò reperiſſet diverſas & heterogeneas in Vitriolo, pro ut hodie agnoſcuntur, eſſe vires. Non autem ſibi contrariari aſtrictionem & caliditatem,ex hoc Galeni loco pluribus explicat *Hieron. Mercurialis tom. 4. conſil. medic. 46.*

Caſpar Bartholinus,philoſophus ille & ſui ſeculi medicus celeberrimus, caliditatem in quarto gradu aſtruit.

Sennertus lib.5. cap. 2. epit. phyſ. calefacit, *inquit*, VITRIOLUM, & adſtringit humiditatem abſumit, carnem contrahit, exſiccat, humidasque carnes à corruptione præſervat.

Aſtringit maximè.*Geſnerus* ait, quosdam venatores injicere in os leonum in ſe irruentium pulverem chalcanthi, ejusque tantam etiam vim in aſtringendo eſſe,ut leo mordere non poſſit.

Et hoc

Et hoc ſuo calculo confirmat *Plinius loc.cit.* Nuper inventum, *inquit*, urſorum in arenâ & leonum ora inſpargere chalcantho: tanta illi vis aſtringendi, ut non queant mordere. *Scott. phyſ.*

Nos in præſentiâ oſtendemus, mixtas in eo eſſe facultates, & diverſas dotes, diſtinctasque intra ſe qualitates congregaſſe.

In ⊕lo mixtas eſſe facultates non mirum eſſe, nec à philoſophiâ peripateticâ alienum, pluribus exponit *Mindcrerus*, ad quem provocamus. Ne tamen plane ſileamus, ex paucis id damus demonſtratum.

In Vitriolo heteregoneas qualitates eſſe exemplo opii explicat *ſupra laudatus Hoffmannus in officin. paralipom.*

Heterogeneum eſt ⊕lum, & mixtum ex diverſis ſubſtantiis, diversâ qualitate præditis, aſſerente *Caſtello epiſt. medic. pag. 93. 188. & 218.*

M. Aurelius Severinus, aureo illo Pythia vipera, inſcripto libello 7. cap. elegantiſſimo verborum ornatu partes vitrioli heterogeneas aſtruit. Præter enim, *verba Severini*, hydrargyrum, ſunt ambiguæ naturæ metalla pleraque, ⊖, & omnes ejus ſpecies, ⦶ & ⊕.

In ⊕lo & reliquis mineralibus plures odores, ſapores, & colores, *ait Joh. Sophronius Kozack tract. de ⊖ e p. 504.*

Mixtæ ergò in hoc SALE MINERALI ſunt qualitates. CALIDITAS virtutes ſuas exercet minimè obſcuras. FRIGIDITAS etiam effectum poſt ſe relinquit exoptatum.

Neminem à ratione tam alienum putamus, qui non concedat in quibusdam perfectè mixtis aliquando diverſas ac contrarias facultates mirabili quodam modo ineſſe, ſive in primâ creatione impreſſas, ſive poſtea præparatione acquiſitas, à cauſis ſive manifeſtis, primis videlicet elementaribus qualitatibus contrariis, ejusdem materiæ diverſis partibus inhærentibus; ſive occultis (quas ſi generaliùs loquuntur *teſte Bartholino in ſyſtem. phyſ.* tertias qualitates appellant,) à formâ ſubſtantiali ſpecificâ dependentibus.

Dum verô qualitates ex parte agnoſcimus occultas, non quidem ex diametro confugimus ad aſtrales Fernelianas. Hîc enim in exceſſu & defectu peccant.

In defectu qui peccant, irrident qualitates occultas; tanquam non entia & aſylum ignorantiæ. Sed certum eſt, non poſſe omnia, ut ut quidam conentur, ad manifeſtas qualitates reduci, & veriſſimum, hæc talia ſibi ſuæ ſapientiæ ſapientiſſimum reſervaſſe Deum, quæ potiùs admirari, quàm ulteriùs perſcrutari noſtrum eſt. Imbecillitas enim mentis noſtræ ad inveſtiganda naturæ, & formæ, quam *ſubtiliſſimus Scaliger* rem divinam *vocat exercit.307. ſect.29.* penetralia, potiùs accuſatur, quàm qualitates hæ culpantur *ſcribit Senn. lib. 6.prax.part. 1. cap. 3.* Unde etiam ad evidentes qualitates omnia reducere velle, ſummam impudentiam vocat *Scaliger exerc. 218. ſect.8.*

In exceſſu qui delinquunt, nihil niſi occultas qualitates crepant, & nonnunquam ideò, ne intimiora corporis phyſici viſcera ulteriùs ſcrutari neceſſe ſit.

Annumerari igitur noſtrum VITRIOLUM non renuit iis, quæ ob virium, quas exercent, diverſitatem, non Galeni ſaltem filios, ſed & philoſophorum diſcipulos mirum in modum torquent.

ABSINTHIUM, *verum illud hepatis reſtaurativum*, tàm frigidis, quàm calidis hepatis affectibus levamine ſuccurrit præſentiſſimo, ob partes, quas in eo agnoſcunt heterogeneas.

RHABARBARUM ſuis etiam gaudet præ aliis, privilegiis aperit leniter & purgat ob partium volatilium λεπτομερείαν, modicè etiam adſtringit ob partes fixas, hinc etiam in dyſenteriâ ſummi inſtar arcani, nec è circulo medici, illud venerantur.

MARS, qui auro imperat, *eloquente Aurelio Caſſiodoro variarum lib.3. epiſt. 25.* & ſervire cogit locupletes pauperibus conſtanter armatis, omnium metallorum duriſſimum, quot ac quantas utilitates ſuâ partium heterogenitate præbet microcoſmo? Volatiles illius partes pro humani corporis ſalute aperiendo & abſtergendo militant, fixæ, quæ fortiorem Vulcani auram poſtulant, obſtruendo, & fluxum ſi quis eſt, reprimendo, inſerviunt.

Quis quæſo, qui vel ſaltim à limine, quod dicitur, ſimplicium doctrinam ſalutavit & primis quaſi labris eorum facultates & vires deguſtavit, neſcit partes heterogeneas OPII, in

quo

quo tamen caliditatem ab *Illuſtri Rolfincio chimiâ lib. 4. ſect. 3. cap. 7.* propugnatam, prædominantem agnoſcimus.

CAMPHORÆ qui examinarunt ingenium penitiùs, vel ultrò faſſi ſunt, ex diverſis qualitatibus etiam diverſas ejus fluere virtutes.

Palma tamen caliditati hodienum aſcripta à *nobiliſſimo Rolfincio ord. & meth. med. ſpec. commentat. & Mœbio, præceptore poſt fata colendo, in anatomiâ camphoræ.*

URTICA tantum adurentis habet facultatis, tantùm etiam ipſi ineſt frigoris, ut ea contuſa metacarpi, ac temporum loco applicata fervorem exſtinguat in corde, *Verbezius contra Caſtellum pag. 94.* quam vim frigidam latere, calorem vero ſuperficietenus ineſſe probat *Langius lib. 2. epiſtolâ 33.*

Hæc igitur qui accuratiori rationis trutinâ menſurat, nemo tàm invidus erit, quin vel ſuâ coactus voluntate noſtro Vitriolo heterogeneas concedat partes, quarum ope tam diverſas edat operationes. Adde quæ habet *Senn. de dyſenteriâ in praxi.* Calefacere Vitriolum extra dubitationis aleam poſitum. Frigefacere, nos docet plebecula, quæ ambuſtis partibus extemporaneo, & εὐπορίςῳ hoc remedio, atramento ſcriptorio, medetur.

De VIRIBUS Vitrioli licet proferremus tot ſeſquipedalia verba,

quot dulces Siculâ flores naſcuntur in Hyblâ,
& quot alit ſuaves terra Ciliſſa crocos,

vix tamen virtutis excellentiam ex æquo aſſequeremur. Tædioſam itaque orationis telam texere dubitamus, ne multa attingendo plura ſilentii peplo involviſſe videamur.

Ex VITRIOLO plus utilitatis redundare, quàm ex omnibus pharmacopolarum pyxidibus, ὑπερβολίζει *Theophraſtus defenſione ſuâ tertiâ.*

Nunquam Vitriolum & ex eo parata medicamina revertuntur ſine lauro triumphali domum. Deprædicant illud, ac ſi genuina eſſet panacea, quam tamen vix ac ne vix quidem dari, munitus rationibus & autoritate τοῦ πάνυ ROLFINCII *lib. 6. cap. 12. in chim.* & *lib. 1. cap. 9.* ſed potiùs non entibus chimicis annumerari, crediderim. Vide quoque *Sennertum de conſ. & diſs. cap. 18.*

Quidam auri illius potabilis, *an putabilis?* inſtar, quod tamen plurimi negant, & *Sophronius Kozack* ſapientiùs ſcripſiſſe videtur *tract. de ſale pag. 503.* VINUM eſſe optimum AURUM POTABILE, ad cœlum evehunt?

Prodeat in ſcenam ſaltim noſtram elegantiſſimum *ſolertiſſimi anteſignani Paracelſi*, encomium quod *lib. de rebus natur. cap. 8.* nobis reliquit: A VITRIOLO, *inquit*, expectanda eſt ſanatio omnium ictericiarum, calculorum, febrium, vermium, epilepſiarum, maximum deoppilativum. Primipili militis locum in curandis tuetur morbis. Quo nullius vis medicamenti aſpirat, eò hujus medicamenti pertingit generoſitas. Aliam virtutem exſerit crudum, aliam calcinatum. Quot in formas diviſeris, tot arcana impetrabis. Unum hoc ⊖lum quartam abſolvit pharmacopolii, partem & quartæ morborum parti medetur.

Mindererus, medicus ille quondam celeberrimus, virtutes tantas conſiderans, vel hodiè, *ſcribit*, medicinæ caſtra deſererem, meumque nomen militiæ darem bellicæ, ſi mihi ⊖torum medicamentorum uſus interdiceretur.

Salve itaque benedicta glacies! ſalve gemma ſapphirina! ſalve ſal mirabile! Tibi tot civium vitæ concreditæ! Tibi humani corporis ſalus ſuprema lex eſt, viſceribus auxiliaris omnibus, culinam microcoſmi reſtauras, arcem vitæ defendis, & reliqua viſcera conſolaris!

Veteres vix in intimiora hujus medicamenti viſcera penetrarunt, ſed ſolùm externo topico uſui illud deſtinaſſe legimus. *Celſus, verè ſcriptor excelſus, medicorum Cicero*, non aliter utebatur Vitriolo ad ſanguinem ſupprimendum, quàm crudâ ejus materiâ in formâ topicâ. Hinc vitriolum inter epulotica numerat *in ſyſtem. mater. med. Joh. Jacob. Brunn Doctor, & profeſſor Baſileenſis.* Hoc ſenſu etiam ſcripſit *Fernelius meth. med. lib. 6. cap. 12.* Chalcanthum uſtum lotumque valet maligna ulcera & fiſtulas detergere, crudum verò non lotum exedere. Plurimum valere Vitriolum in ulceribus mundandis, & omnem abſolvere paginam in mali moris fiſtulis paſſim oſtendunt autores. Varium in hoc paſſu Vitriolo utendi modum exponit elegantiſſimè *Joh. Andr. à Cruce chirurg. lib. 3. tract. 2.* In profundis vulneribus

Vitrioli

Vitrioli pulveriſati ſubtiliſſimè, cum liquore frigido immiſſi efficaciam expertus eſt *Franciſcus Peccetius in chirurgicis*, induxit hac ratione eſcharam, & plurimùm profuit. In hæmorrhagiâ vulnerum nimiâ præſentiſſimo eſt auxilio Vitriolum.

Rodericus à Fonſeca conſult. med.2.conſil. 11. deſcribit unguentum præſtantiſſimum, quod omnium optimè putredinem ſiſtit, & ulceris malignitatem corrigit.

℞. *flor. æris, Onis, mellis communis* ā ℥iij,
♁*ti acerrimi* ℥v, ⊖ *communis*, ℥j, ⊕*li* ʒß.
Bulliant. F. ſ. a. Unguentum

⊕lum etiam ingreditur illam chirurgorum compoſitionem, quam vocant **das ſchwartze Waſſer zum Kaltenbrande.**

℞. *ſem. fœni græci* ℥iv. *nucis moſchatæ, gallarum*,
♀*ri* ā ʒj. ⊕*li, Onis* ā ʒiij, ⊕*tri* ʒj,
⊖ *communis* mj, *corticum lignorum* ℔j,
Coq. in vini menſuris ij, ▽ *pluvialis menſ.* iij.

Coletur, ac cum linteo calido parti affectæ applicetur ſummo cum fructu, exhibitis priùs univerſalibus. Cum hâc aquâ ferè coincidit decoctum nigrum *Mynſichti ſect. 25 pag. 399.* *Franciſcus Joël in praxi* in fiſtulis ſequens commendat:

℞. ⊕*li* ʒiß, *calcis vivæ* ʒj, *tragacanthæ* ℥j,
aceti vini q. ſ. M. & redige in linimentum, carptis linteolis parti affectæ applicandum.

Principis Burgundici balſamum ad fiſtularum dolores & apoplexiam, incomparabile, deſcribit *Keſlerus in proceſſib. chimicis cent. 2. num. 6.*

℞. *olibani, maſtich. picis alb.* ā ℥j,
galbani, ⊕*li* ā ℥iß, ☍ *olivar.* ℔iij.

Hæc cocta ſimul colentur per linteum. Colatum ſervetur uſui, ex quo inſigne poterit componi emplaſtrum.

Solum ⊕lum Romanum vulgò dictum **blauer Augenſtein**, in oculorum affectibus externè laudat *Joh. Rhodius in analectis ad Septalium.* ⊕lum ophthalmicum album commendat *Joh. Rudolphus Camerarius in memorab med. cent. 4. n. 81.* In tumore oculorum ex ⊕lo pulver. ovo incluſo habet experimentum *Paræus lib. 9. c. 24.* Parantur etiam ex ⊕lo decocta adſtringentia in vacillatione

 dentium

dentium ubi aſtringendo opus eſt, abſtinendũ potius eſſe à decocto ⊖li ſvadet *Foreſtus.lib.14.obſ.7.* cũdentes nigredine quadam inficiat. Alia hunc in uſum commendat *Höferus in hercule med. lib.1.*

Ex ⊖lo crudo etiam parantur ſuffimigia in aëre venenato, ad corrigendas & diſpellendas atomos malignas, ceu laudat *magnificus Dn.D.Rolfincius ord. & meth.* Tale eſt ſuffimigium Peuceri, quod

℞. *⊖li Goslarienſis* ℔j, 🜍 *puri* ℥ij, *Onis, myrrhæ*, ã ℥j. ſi vel cum ☩to ſimpl. vel roſato, vel alio in tegulam candefactam inſpergitur egregiè aërem emendat. Hujus efficaciam in peſte Brunovicenſi expertus *medicus longo uſu, & multifariâ experientiâ excellentiſſimus Dn. D. Laurentius Gieſelerus, Reip. Brunopolitanæ protomedicus. obſerv. ſuâ 8. de peſte Brunſuic.* Convenit hoc in plurimis cum ſuffimigio peſtilentiali *Mynſichti in armament. ſect.10.*

Vulgatiſſimus ⊖li uſus eſt in emplaſtris. Ingreditur ſticticum *Poterii*, & *Crollii.* empl. opoteldoch *Crollii*, lapidem etiam ſalutis *Crollii.*

Famoſiſſima eſt compoſitio Emplaſtri diachalcanthi quod inepte cujusdam arbitratu diachalciteos dicitur, cum non chalcitis, ſed chalcanthum ingrediatur. Vide *Hoffmannum paralip. offic.pag.672.* Verùm res videtur liquida, nam variant deſcriptiones altera ex chalcitide, altera ex chalcantho. Veteres adhibuere ad hanc compoſitionem chalcitin, uti ex recentioribus etiam deſcribit *Poterius in pharmac.pag.374.* Sed cum hodierno tempore chalcitis planè ſit incognita, inviſaque, rectiùs ſubſtituitur ipſum chalcanthum. Deſcriptionem talem exhibet *Diſpenſatorium catholicum Horſtii de emplaſtris*,

℞. *°o veteris, lithargyrii auri* ã ℔iij,
axungiæ ſuillæ veteris inſulsæ ℔ij,
Vitrioli albi ʒiv. Coque igne lento aſſiduè movendo
ſpathulâ palmeâ, & F. Emplaſtrum.

Hoc emplaſtrum maximè ex uſu fuiſſe in arthritide novimus. Ad exaltationem additur parum camphoræ, & applicatur parti affectæ *Riverius praxi lib.16. c.1.*

Dicitur hoc empláſtrum aliàs *diapalma*, non ut quidam craſſo errore opinantur, quòd palmæ ingrediantur compoſitionem, hoc enim eſt *diaphœnicῶν*, ſed quòd antiquitùs ſpathulâ ex palmo

palmo paratâ inter coquendum agitata ſit materia, uti *ex collegio conſultat. Excell. Dn. Præſidis* recordamur. Vide, *medicorum illum Evangeliſtam*, uti appellant, *Meſuem diſtinct. 11. de ungt. & empl.* Agitetur materia (emplaſtri hujus) cum palmæ, vel ejus loco quercûs, ſalicis, meſpilive recentibus ramis, concludit compoſitionem *Pharmacopœa Amſtelodamenſium pag. 114.*

Uſu magis, quàm ratione hoc emplaſtrum vocari diapalma, autor eſt *Horſtius in diſpenſatorio catholico*, cum tantùm ſpathulâ palmeâ agitetur. Si hoc eſt cerotum Galeni, diachalciteos, uti certe eſt, hoc ipſum etiam ipſi Galeno dicitur phœnicinum, h. e. palmeum, nec differunt, uti exiſtimat *Schröderus lib. 2. pharmac. cap. 53. Galenus lib. 1. cap. 4. de compoſ. medicam. per genera*, hujus ceroti, ſive emplaſtri, (hæc enim vel nihil differunt nomina) compoſitionem, & vires proponit, ad ejus agitationem expetit inter coquendum, *ξύλον φοίνικος, rudiculam palmæ* ſuccolentam, & inciſam, ut ſic ſuccus palmæ ſimul extrahatur.

Auguſtani in diſpenſat. & Zvvelfferus in notis ceroti, ut vocant, diachalciteos, Galeni compoſitionem emendare ſtudentes, addunt tres manipulos ramorum palmæ, qui inter coquendum miſti ſuccum pharmaco communicent emplaſto. Idem faciunt *Norinbergenſes in diſpenſatorio non ita pridem emiſſo, ſub nomine emplaſtri diapalma. Zvvelfferus in pharmac. Regia, claſſe 19.* proponit *emplaſtrum diaquercinum*, quod vires diapalmæ, vel ſupplere vel ſuperare valet.

Non acquieverunt Veteres in externo uſu, ſed ipſum etiam crudum ⊖lum internè commendârunt. Exemplo ſit *Dioſcorides*, qui tale nobis reliquit conſilium, loco ſæpiùs citato: *ἕλμινθας πλατείας ἀναιρεῖν ℨ α. βάρος καταπινόμενον, ἢ μετὰ μέλιτος ἐκλειχόμενον. Lata ventris animalia, vermes necat drachmæ pondere devoratum, aut cum melle linctum.* Et poſt pauca emeticam in illo deprædicat virtutem, & commendat poſt eſum fungorum *τὸ χάλκανθον σὺν ὕδατι, chalcanthum cum aquâ, & lib. περὶ δηλητηρίων φαρμάκων, de venenis cap. 23. σὺν ὄξει, cum aceto* ſumtum.

Plinius, infelix ille Veſuviani incendii, *teſte Vincentio Alſario Crucio in Veſuvio ardente lib. 1. cap. 1.* explorator, ſatis multus in recenſendis viribus ⊖li, & plurima aſteriſco digna in ejus

encomio

encomio occurrunt. Commendat etiam internè ad eluendum ſtomachum. Sumitur, *inquit*, ad depellenda ventris animalia drachmæ pondere cum melle, purgat caput dilutum ac naribus inſtillatum, item ſtomachum, cum melle, aut aquâ mulſâ ſumtum. Medetur oculorum ſcabritiei dolorique, nec non & caligini, & oris ulceribus. Siſtit ſanguinem narium, item hæmorrhoidum. Extrahit oſſa fracta cum ſemine hyoſcyami, ſuſpendit epiphoras, penicillo fronti impoſitum. Efficax & in emplaſtris ad purganda vulnera, & excreſcentias ulcerum. Tollit & uvas ſi decocto tangantur. Cum lini quoque ſemine ſupponitur emplaſtris ad dolores tollendos. Vulnera ſanat, ſed ſtringit cicatrices. Hæc ille.

Mizaldus centur. 6. diſtinct. 48. laudat ⊖l. in ▽Roſ. diſſol. & rurſus coagulatum obuli pondere infectis peſte ad vomitum concitandum. Idem conſilium eſt *Paræi lib. de peſte cap. 25.*

Thomas Bovius Veronenſis empiricus, *libro*, quem inſcripſit, *flagellum*; ⊖li crudi ʒj, in mellis & aquâ ana, diſſoluti tam ad præſervationem, quàm ad curationem maximè commendat, ſanctè affirmans ſe in peſte Veronenſi plus quàm decem libras conſumſiſſe, & ex mille hominum neminem, præter undecim, periiſſe.

Tempore *Dioſcoridis*, ſcribit *Joel in praxi tom. 5. lib. 5. ſect. 3. edit. Amſtelod.* Vitriolum intra corpus exhibebatur; & nos non ſemel vidimus à vetulis ruſticis nucis avellanæ quantitatem ⊖li viridis cum ▽ tepidâ contra febrim, non ſine felici ſucceſſu exhibitam. Validisſimè enim per vomitum pituitoſam colluviem exturbat. Et ipſe exhibui pauperculis ruſticis febri quotidianâ laborantibus, ſed ſoleo prius præparare ſeq. modo. ℞. ⊖*li* ℥j. & in ▽Roſ. reſolvo, aquam affuſam in ferventi ▽ rurſum evaporare ſino, & ſi necesſitas exigit ejus ʒj. in pulvere cum ▽Roſ. exhibeo, quod me nunquam fefellit in pituitoſis corporibus. Hactenus ille.

Si ergo mineralia cruda, & non præparata, quæque ſuis vitiis non carent veteres in uſum traxerunt, cur non uteremur medicamentis ex ⊖lo præparatis? Valida medicamenta priſcis temporibus frequentiora, quàm noſtris, quibus mitiora magno bono innotuere, notat *Rhodius ad Scribon. p. 24.*

Quis

Quis non utitur, non chimicorum ſaltim, ſed Galenicorum ∽tu ⊕li, niſi is, qui eum forſan vidit nunquam, concludit *ὁ πάνυ Sennertus.*

Nec contemnenda hæc ſunt è mineralibus præparata, vel ob violentiam, quam tantam non habent, cum εὐφορίᾳ enim operantur vel ipſis veterum purgantibus, helleboro, laureolâ, mezereo, eſula, colocynthide, quæ tamen planè venenata proclamat *Amelung. tract. nob. de alchim. 1. cap. 5*, meliore. Plura in hanc rem quære in *alexicaco chimiatrico Rulandi pag. 27.*

Nec rejicienda ob novitatem, quòd plane fuerint veteribus incognita? Nam quot quæſo hodie vel ipſis Galenicis ſunt uſualia, de quibus ne gry quidem veteres reliquerunt. Gialapium, rhabarbarum, mechoacanna, ſarſæparilla, quid de illis Hippocrates, quid Galenus? Ambræ gryſeæ ne veſtigium quidem apud veteres, perperam enim *Cratonem* habere illam pro τῷ θείῳ Hippocratico, oſtendit pluribus *Billichius lib. 2 cap. 6.* qui potius eam metallicam reſinam eſſe dixerit *lib. 2. cap. 4. obſervat.* & ipſe lapis bezoar, qui tamen, *teſte Minderero de peſtilent. cap. 15.* mortis liberator dictus. Huic plurimum tribuitur, & tamen nec literula apud primicerios medicorum, Hippocratem, & Galenum, de eo inveniri datur. Quantum autem huic lapidi tribuendum ſit, exponit *Primeroſius de erroribus vulgi. Senn. de febb. lib. 4. cap. 6. & in paralipomenis pag. 184. Bauhinus de lapid. bez.* Tam multi, *ait*, adulterini advehuntur, ut ex centum vix denos legitimos invenias. *Valleſius lib. 4. meth. med. cap. 2.* veretur, ne omnes ſint falſi. Idem ſentit *Hercules Saxonia de plica Polonicâ & lib. 3. de venenis cap. 10.* Suſpecta etiam ſunt *Hoffmanno lib. med. offic. paralip. p. 658.* quæ de hoc lapide ſtentoreâ voce prædicantur. *Thonnerus lib. 1. obſerv. medic. 1. inquit*, materialiſtas in Europâ reperiri plures, quorum ſinguli plures lapides poſſideant, quàm in universâ Indiâ inveniuntur. Miratur etiam omnes medicos fidiſſimo experimento fretos unanimiter ſtatuere hunc lapidem catholicam antidotum *Zacutus Luſitanus lib. 1. med. princip. hiſt. quæſt 25.*

Stat ergo firmo adhuc talo, ſi cruda adhibuere olim mineralia, cur non artificio præparata?

Horum, ex ⊕lo quæ educuntur, medicamentorum ſeries, cum vel integro ſufficiat libro, & tanta ſit copia, ut cum *Plauto* & face & viatico ad catalogum eorum recenſendum nobis opus fore arbitremur, brevitati ſtudentes illa vel enumerare conſtituimus. Hoc autem dum agimus, paucula de medicamentis mineralium prælibamus.

Medicamenta ex mineralibus, & præprimis ex chalcantho petita, num adhibenda, videtur quæſtio magni momenti?

Hæc à μισοχιμικοῖς & κατ' ἐξοχὴν à *Joh. Baptiſtâ Sylvatico*, *Jacobo Lampugnano Prof. Romano* & aliis quam plurimis impugnantur.

I. Eſſe medicamenta nova. 2. non carere veneni ſuſpicione. 3. eſſe vehementiora. Sed novitatem veneranda refutat antiquitas. *Hippocrates, ipſe medicinæ parens* non recuſavit mineralia, *de rat. vict. acut.* æris florem ad abſceſſum pulmonum, *lib. 2. de morb. & lib. 3. de morbis.* Nitrum aſſatum dupla proportione flori æris miſtum ad expectorationem, *lib. 3. de morbis* commendavit. Quoties Hippocrates ſulphur bibendum præceperit mulieribus, patet ex 1. & 2. *de naturâ mulier.* Nec à ſandaracha, non quidem Arabum, quam gummi juniperinum, ſive vernicen dicunt, ſed Græcorum, auripigmento, contrà ac exiſtimavit *Crato lib. 7. epiſt. medicin. 10.* Hippocrates ſibi temperavit. *Dioſcorides* ſtibium ipſum exhibet. Alumen ſciſſile nephriticis potionibus miſcet *Dioſcorides lib. 3. cap. 23.*

Squammam æris ad hydropem commendant *Dioſcor. lib. 5. cap. 89.* & *Aetius tetr. 4. ſerm. 1. cap. 92.* ipſe *Plinius lib. 35. cap. 4* alumen in pilulis lienoſis laudat. Imo ipſum noſtrum ⊕lum crudum exhibet *Dioſcorides.* Si Apollinis Dindymæi oraculum eſt illud *Cratonis lib. 7. epiſt. 5.* metallica non carere periculo, cur Vitrioli oleum encomio & patrocinio dignatur *lib. 4. epiſt. medic. 14. Lib. de peſte* inquit: Scio illius præſtantiam, aliqui ab eo ut metallico abhorrent, ſed temerè. In corporibus humanis aliam vim & effectum habet *lib. 7. conſil. medic. 28.*

Vehementiora eſſe, non ſimpliciter affirmare licet. Extra omnem enim controverſiam eſt apud graviſſimos quosque medicos, etiam leviſſima pharmaca interdum pro morborum temporum

porum ac corporum conditionibus ſolere eſſe gravia. Non dixi ego, *inquit Eraſtus epiſt. 4.* metallica omnia eſſe vehementiora & noxia, cum & ⊖ inter ea referatur, & chalcanthum.

Triticum ſine lolio non creſcit, nec farina ſine furfure habetur, nec mel ſine aculeo, ita nec omnia mineralia, ſed in præſentiâ ⊕lum ſolum excuſamus.

Ars imitetur naturam, canon eſt medicorum. Natura excitat thermas & acidulas ad ſalutem hominum. Hæ quicquid virium habent, habent à mineralibus. Si itaque hæ aquæ mineralium vel ſubſtantiam ferunt, uti certè ferunt, vel ſpiritum, cur non præparata ex mineralibus hiſce crudis præferremus? Frequentisſimus eſt hodie acidularum uſus, & ultimum deſperatorum refugium. Inclaruere Acidulæ Pyrmontanæ ad Viſurgim ſitæ, ſuperiori jam ſeculo notæ, & ab aliquot annis iterum inclareſcentes, maximo emolumento ægris ſuccurrunt, ob virtutes, quas vehunt mineralium. Deſcripſit illas, *poliater Hamelenſis Georgius Bollmannus.* De acidulis plura apud *Henricum Heer obſerv. 14. & Marantam, Venuſinum medicum in epiſtolâ.*

Latuit veteres chimica corporum analyſis, & vitalis anatomia, & tamen adhibuere mineralia, ergo & hodie præparata legitimo modo, exhibita juſtis vehiculis, convenienti præbio, & legitimo tempore, à medicamentis non excludenda. Non exhibenda ſola, ſed miſcenda cum Galenicis, *Renealmus in obſerv.*

Quæritur in ſcholis medicorum, *an ⊕lum ſit venenum?*

Vocabulum veneni ex iis eſt, quæ μέσα, recepta à criticis conſvetudine, in ſcholis dicuntur. Veteres imitantes genium Græcæ vocis τοῦ φαρμάκου, quod nunc benignum, nunc malignum notat medicamentum, dixerunt venenum nunc ſalutare, nunc deleterium, *teſte A. Gellio noct. Attic. lib. 12. cap. 11. & comment. in ὅρκον Hippocratis celeberrimo Medico Lubecenſi Johan-Henrico Meibomio cap. 14.*

Verum ut ut hodie non ampliùs ſequior ſignificatio eſt in uſu, certum tamen eſt, maximam eſſe venenorum latitudinem, quædam enim propriè, quædam minùs propriè, audiunt venena.

Propriè venena audiunt, quæ in parviſſima licet doſi inte

riùs ſumta citiſſimè proprietate ſubſtantiæ nocent vel enecant.

Impropriè verò, quæ excedente doſi qualitatibus, vel primis, vel ſecundis exceſſivis, vel ob uſum intempeſtivum inconſideratum, & immaturum nocent, vel enecant. Et huc plurima reducenda, quæ vide apud *Prævotium in cenſu venenorum.* Si hæc eſſent tollenda, pauca relinquerentur in foro medico. *Ficuum* nive refrigeratarum eſu mortuus perhibetur Pompejus Columna Cardinalis. Eſu *melopeponum* aliquot imperatores interiere. *Gelidæ aquæ* potu in venatione extinctum Henricum VI. legimus. *Crocus* multos enecavit. *Muſcâ* in fauces cum impetu illabente Adrianus IV. pontifex periit. *Lacte in ventriculo coagulato* plurimi interierunt. Si itaque ⊖lum eſt venenum, eſſent hæc omnia etiam venena. Si contigit, *inquit Caſtell. epiſt. 8.* aliquando hæc in uſum medicum tracta infelicem dediſſe ſucceſſum, id non efficiunt, quod propriè ſint venena, ſed quatenus nec juſto modo, nec juſto tempore ſint exhibita.

Amatus Luſitanus centur. 2. curat. 84. recenſet hiſtoriam, juvenem qui virginem deperibat, ſeipſum ⊖lo interfeciſſe. Ex hoc tamen non ſequitur, ⊖lum abſolutè eſſe deleterium. Sic & ipſe *Galenus de theriaca ad Piſon. cap. 17.* licet hoc pro genuino Galenico ſcripto *J. Alexandrinus de theriacâ* non agnoſcat, teſtatur, importuno & intempeſtivo uſu theriacæ puerum interiiſſe. Itaque hæc ipſa alexipharmaca eſſent inter venena referenda?

Loelius à Fonte in conſult. habet exemplum, ex immoderato uſu ⊖li alicui renes corroſos, & abſumtos, contra quam corroſionem laudat *Foreſtus* apud *Anſelmum Boetium de gemmis & lapid. cap. 154.* corallia ſumta.

Ut omnibus metallis & mineralibus venenum ineſt, ita etiam chalchanto, objicit *Joh. Baptiſta Sylvaticus controv. 48.*

℞. Sylvatico. Num ergo in auro aliquid veneni, quod tamen inter cordialia refertur?

Tandem illud ipſum ⊖lum uſtum, ſive chalcitis, recipitur tanquam alexipharmacum in famoſiſſimam illam Andromachi theriacam.

Quæri-

Quæritur ergo, an hæc *chalcitis* rectè inſeratur Andromachi ſenioris theriacæ?

Videntur parvi facere *Platerus in quæſtionibus therap.* pag. 154. *Hoffmann. in paralipom. & Zwelfferus in notis.*

Horſtius affirmat *lib. 2. epiſt. medic. ſect. 1.* & intelligit per eam, non quidem veterum chalcitidem, quæ inter miſy, & ſory medium obtinere dicitur, de quâ etiam legere eſt in *Apolline Franciſci Alex.* contra *Cardanum, Amatum & Braſſavolam*, ſed ⊖lum ad flavedinem uſtum.

Q. 2. *An uſum aliquem notabilem hîc* habeat?

Fuchſius Fernelius, Cordus & *Rhodius* autumant, tantùm eſſe additam ad colorem nigrum conciliandum, vel majorem ſiccitatem inducendam.

Neutrum admittit *Doctor Franciſcus Tidicæus, medicus Thorunienſis tract. de theriacâ*; ſed additam eſſe ad univerſam theriacæ formam ulteriùs complendam & perficiendam, ſiquidem chalcitidem, ſive ejus ſuccedaneum ⊖lum uſtum ſingulare alexipharmacum eſſe conſtat ex Minderero. Quidam ex recentioribus, ad fermentationem etiam ipſum ⊖li addunt ſpiritum.

CAPUT VI

ſicca ex vitriolo medicamenta recenſet.

ȣ̓κ ἐκ παντὸς ξύλȣ Ἑρμῆς ἂν γένοιτο,

Non è quovis ligno fit Mercurius:

Inſignis elegantiæ vetus *vetuſtiſſimi Theophraſti* eſt dicterium.

Vitriolum concinnè ejusmodi ligno comparatur, ex quo non quidem *Mercurius* ſed generoſiſſima remedia Hermeticâ arte præparari poſſunt.

Ut ex equo Trojano fortes prodiere Græci in occupandæ & devaſtandæ Trojæ exitium, ſic polydædala terra luxuriat ſuo vitriolo, ȣ̓ χειρὶ, ἀλλά ὅλῳ θυλάκῳ *non manu, ſed toto horreo*

in morborum & inſultuum humano corpori inimicorum exitium probata ex eo promens remedia.

Multas induat metamorphoſes neceſſe eſt, antequam ſalutiferum noſtro corpori auxilium aptum evadat.

Non poſt principia, ſed in primâ acie ſtant inter SICCA, quæ per *calcinationem* producuntur.

Calcinatur per ſuos gradus & duplici ferè ratione, vel à ſole, vel ab igne.

A ſolis radiis calcinatum plurimi præferunt △ præparato, dicentes à ☉e non imminui, ſed augeri ſubſtantiam.

Ex 🜖lo à ſole calcinato medicamenta corroſiva & eſcharotica proponit *Keslerus, pag. 147.*

Ex 🜖lo vel artificiali ♀, vel communi, ☉is radiis calcinato, famoſiſſimus eſt pulvis ſympatheticus magneticâ virtute celebratiſſimus. Magneticam hanc in 🜖lo virtutem agnovit etiam tribunus ille militum, apud *Joh. Nardium anni 1. nocte geniali 7. pag. 468.* qui linteaminibus, quæcunque ſanguis infecerat, ſummo tanquam arcano, Cyprio vitriolo medebatur, hôc enim ſtatis horis lavabat, ne marceſcerent, ſitumve contraherent.

Commendationem hic pulvis, qui vulgò *Digbæo* adſcribitur, in hæmorrhagiis ſedandis meretur uberrimam, videſis de hoc pulvere ſympathetico autores graviſſimos, *Digbæum in ſympathiâ, Nicolaum Papinium, P. Caſtellum apud Dietericum in iatreo Hippocratico pag. 128. Borellum cent. 3 p. 276. Joh. Beverovicium in fine quæſt. epiſt. & Laurent. Strauſium Doctorem & Profeſſorem medicum Gieſſenſem excellentiſſimum, in theatro ſympathetico.*

Notum eſt exemplum, ubi in quadrato ruſtico ex cranii vulnere, nullâ ſtupâ hæmorrhagia fermè deſperata ſiſti potuit. Adhibuit externè hunc pulverem chirurgus, & digitis vulneri immiſit, ſanguis ſtetit tanquam Marpeſia cautes, & vulnus ſucceſſivè ſanatum.

℞. *🜖li Goslar. in ☉is radiis ad album calcinati* ℥viij,
pulv. gummi tragac. puriſſimi ℥j.

M. invicem diligenter ut F. Pulvis ſubtiliſſimus ſympatheticus.

Hujus

Hujus efficaciam in hæmorrhagiâ narium plus vice ſimplici in nobis ipſi experti ſumus, ſi admovetur naribus; ſtatim ſentitur auxilium.

Alias in hæmorrhagiâ narium non infima ſunt remedia. *Riverius cent.1.obſ.23.* commendat oxycratum per nares frequenter attractum, quod *Claudius Deodatus panth. hygiaſt.lib.3.pag.235,* inſtar arcani extollit,

℞. *alcool lapid. hæmatit. boli armenæ, ſanguinis drac. a.* ℥ß,
pulv. ſandali rubri, croci ♂,
colcothar. rubei a. ʒij, 🜖*li albi* ʒiij,
🜍 *rubri* 🜖*li* ʒj, *aceti acerrimi q.ſ.*

ad faciendum craſſiuſculum liquorem, 🜐 🜖li acuandum.

Hoc liquore imbuantur flocci bombacis, & exiccentur, idque ter quaterque repetatur, tandem uſui reponantur.

His floccis in nares immiſſis, multa præſtitit laudatus autor.

Nihil ſiſtendo ſanguini efficacius, quàm colcothar 🜖li rubrum, teſte *Joh. Heurnio in lib. 1. aph.3. Hippocr. & Cæſalpino de metallicis lib. 1.cap.22.* Practici nonnulli ſuadent in hæmorrhagiâ narium acetum infundendum in AUREM. Recentiorum nonnulli mentem hanc non eſſe veterum ſcribunt, ſed eſſe errorem, præcepiſſe potius in NAREM infundendum, ut enim taceamus delicatiores auriculas vix tale genus, nervis inimicum, remedii admittere, ipſe *Galenus*, vel quicunque alius de *εὐπορίστοις, medicamentis facilè parabilibus, cap. 9.* ſpongiam ex aceto cocto madefactam naribus immittendam præcipit.

Igne aperto calcinatio eſt uſitatiſſima.

🜖lum ad flavedinem calcinatum eſt baſis elixir. antiepileptici *Crollii.*

Ex 🜖lo ad rubedinem calcinato ſive 🜎 🜐 🜖li eſt arcanum corallinum *Hartmanni apud Crollium in notis ad baſilicam p. 62.* ex quo corallino arcano laudanum ſuum ſingulare Hartmannus præparat.

Ex 🜖lo calcinato ſunt externa antipodagrica *Quercetani,* quæ laudat *Fonſeca tom.1.conſult.7.* Ex 🜖lo etiam externum antiarthriticum componit *Mynſicht. in armam. ſect.20.*

🜖lum

🜖lum uſtum ideò adhibetur in ſiſtendâ hæmorrhagia, autore *Antonio Chalmeteo enchir. chirurg. p. 186.* quòd cauſticæ facultati admiſta ſit adſtringens, quo fit ut eſchara firmiùs hæreat. Ex hoc 🜖lo uſto, lapidem ſuum infernalem qui alias Chalmeteo aſcribitur, ad fonticulos excitandos exſtruit *Fallopius*, teſte *Glandorpio in gazophylacio.* Quomodo autem cauteria 🜖ta à cæteris differant, lege *Joh. Coſtæi de igneis præſidiis lib. 1. cap. 30. Bartholinum de cauter. cap. 3.*

⊖ mirabile *Glauberi* ex ⊖le & 🜖lo confici experientia conſtat, ſcribit *curioſorum Phoſphorus curioſiſſimus Sachſius in oceano macromicrocoſmico §. 52.*

His ex calcinato præparatis reliqua ſubjungenda.

VITRIOLUM RECTIFICATUM PURGANS A. SALÆ, quod deſcribitur *Anatomia 🜖li tr. 1. cap. 9.* cujus deſcriptio ibi videri poterit. In cœlum uſque hoc extollit *Sala*, & qui hoc habeat, illum verum arcanum habere aſſerit, cum quo rectificato ferè coincidit 🜖lum Salæ regeneratum.

CRYSTALLI 🜖li, qui ex metallis eliciuntur, etiam aures implent multorum.

🜖lum ☉is, & ☽æ, beneficio 🜅 🜍 extrahit *Beguinus*, & ab his invicem conjunctis medicamentum, vel ipſo lapide philoſophico pretioſius expectat. ☽æ, beneficio 🜅 🜍, in 🜖lum redactæ meminit *Hartmannus in not. ad Croll. baſil. pag. 148.* Ex hoc ☽ri 🜖lo præparat 🜅tum ſuum antiepilepticum *Cloſſæus.* 🜖lum ſive cryſtallos ☽æ in fonticulis ſine dolore excitandis ex *Mollenbrocio* commendat *Doctor Joh. Daniel Major P. P. & Anatomicus in novâ Chilonienſi academiâ*, in epiſtolâ de cancris & ſerpentibus petref. §. 19. Dari autem cauterium indolens ambigunt nonnulli,

& medici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Vitriolum HERMAPHRODITICUM magnarum virium parandi modum *Hartmannus in notis ad Croll.* habet.

℞. 🜅 🜖li ♀r. affundit limat. ♂, & procedit, uti pluribus in ſuperioribus demonſtravimus. Vide quoque *Rhenanum lib. 1. ſolis è puteo emerg.* Ex hoc 🜖lo eſt decantatiſſimum ſpecificum ſtomachicum *Crollii, in Baſil. pag. 282.*

🜖lum ♂tis *Schrödero* magiſterium chalybis 🜖tum dictum,

ctum, laudat *Freitagius* in dyſenteriâ. Ex hoc, & liquore minii dulci eſt tinctura quædam adſtringens, ex quâ variâ ἐγχειρήσει variæ componi poſſunt: antiphthiſica, ad hæmorrhagias narium, hæmorrhoidum, uteri. Hanc ad uteri hæmorrhagias tincturam nimiam uteri hæmorrhagiam ad 10. gt. in vehiculo exhibitam correxiſſe, non ita pridem in juvenculâ maritatâ obſervavimus. Ex hoc ⊕lo, & ▽râ ♀ri foliatâ, deſcribit Tincturam ♂tis aperientem *chimia Rolfinciana lib. 4. ſect. 1. artic. 3. cap. 13.* ~ ex hoc ⊕lo ♂tis prolectus præprimis lienoſis & hypochondriacis commendatur. Aliam facillimam, & paucis cognitam hujus ⊕li compoſitionem exhibet *Riverius lib. 12. cap. 5. prax.*

℞. °° ⊕*li* ℔ß. Mahlerzinn ℔. Ponantur in ſartaginem novam & mundam, & aſſere contegantur; intra 15. dies fiet per ſe ⊖ina concretio, quæ ☉i poſt exponenda, vel in hypocauſti calore ſpathulâ ferreâ agitata exſiccanda. Exſiccata bene obturetur in vaſe, ne aër accedat. Hoc ⊖ cæteris omnibus medicamentis palmam præripere in deobſtruendo judicat *Riverius*. Ob ſaporem ingratum pilulas ex eo conficit, cum mucilag. tragac. magnæ æſtimationis in melanch. hypochondriacâ, & hyſtericâ paſſione *lib. 12. in praxi cap. 6. Doſ. a gr. 12. ad 20.*

Ferreo hoc noſtro ſeculo, ubi plusquam ♂tiales, & ♄nini urgent morbi talia expetuntur generoſa remedia. Quibus vegetabilia & animalia non valent, valeant iis mineralia. Hæc enim ſi explodenda eſſent, explodendi & illi erunt, qui ægros ad minerales ▽as mittunt, qui chalybem crudum uſurpant, cenſente alicubi *Poterio*.

VITRIOLUM ♀RIS ingreditur nepenthes, ſive laudanum ſine opio *Hartmanni apud Crollium pag. 206.* Ex hoc ⊕lo conficiunt agyrtæ, das blaue Waſſer / und Blauen Augenſtein / quæ tamen non ſemper probantur. Parant & ex hoc ⊕lo gemmas coeruleas factitias. Negat *Helmontius de lithiaſi*, perfectum medicum ⊕lum, quod participet de ♀re ♀ris, elici poſſe. Plura de artificialibus ⊕lis, vide *ſupra cap. 4.*

TARTARUS VITRIOLATUS variis nominibus donatus, jam enim ⊖ ♀*ri* ⊕*tum.* jam *magiſterium* ⊕*li.* ♀*ſatum* audit, item ⊖ ♀*ri eſſenſificatum fixum.* ♀ri ⊕li præparandi modos 7. conſtituit in ſuis chimicis *Penotus pag. 189. Höferus*

in hercule medico ex Horſtio monet, moderandam doſin ⊖is ♀ri, ne nauſeabundum fiat. Diverſum à communi proceſſum cum ✠to ♌to habet *Horſt. decad. 9. problematum medic. quæſt. 5. & Crollius* alium *in baſilicâ*. Ex ☺ ∽ ⊕li, & crudi ♀ri ♌ti apud *Schröderum lib. 4. cap 6.* etiam paratur elegans ♀ ⊕*tus*.

Vulgaris proceſſus talis: ℞. ⊖ ♀*ri liqueſcentis p.* ij,
∽*tus* ⊕*li* p. j.

Infunde, guttatim inſtillando in vitrum inſignis capacitatis, ebullit enim vehementiſſimè, vel ⊖ ſupra ∽, vel ∽tum ſupra ⊖, donec nullam ſalſedinem in liquore ſuperſtante ſentias, vel uſque dum ebullire ceſſat. Pulvis ſubſidens cryſtalli æmulus in leni ∴ △ evaporatione inſtitutâ ſiccefcat, & quò leniorem permittas digeſtionem, eò etiam laudabilius impetrabis pharmacum.

Hâc ἐγχειρήσει chimicâ *Crollius* vult demonſtrare in microcoſmo generationem epilepſiæ, ubi tamen contrariatur *Libavius ſyntagm. arcan. lib. 7. cap. 32. & Poterius in pharm. pag. 173.* qui potiùs febrium generationem illâ explanant.

Vires huic adſcribuntur calefaciendi, ſiccandi diſcutiendi, reſolvendi & adſtringendi. Adſtrictionem qui impugnant ⊕li ∽tum in hâc compoſitione ſuis facultatibus privant, ejusque vires negant. Sed infringi quidem, non tamen penitus perire aſſerit *chimia pag. 325. & Senn. in paralip. pag. 97,* experientia enim docet, ſi ♀rum ⊕l. iterum ♌laveris, præbebit ∽tum ⊕li acidum. Laudatur *ab Höfero in Herc. med.* ad leucophlegmatiam, & ad febrim virginum albam, ſive amatoriam Mannß-Fieber / cùm hæ ægræ per conjugiale juvenum conſortium optimè reſtitui poſſint. Vide *Guilielmum Ballonium.* ♀ri ⊕ti ℥ij. cum *julepi roſac.* ℥ij. *aq. cinam.* ℥j, Miſta obſtructionem renum efficaciſſimè ſolvunt. ♀ ⊕tus ingreditur etiam *pil. de terebinth. Mynſichti.*

Panaceam, & univerſale digeſtivum qui ſalutant, non ſunt pauci, in omnis generis affectibus & ad coelum evehunt, alii ad barathra detrudunt. Et licet plurimis humoribus in corpore humano præparandis commodam navet operam, non tamen humoribus ſalſis, acerbis & acribus convenire docet

Dn.

Dn. Præſes chim. pag. 327. Confirmat hoc ſuo calculo *Mœbius*, qui ♀riſata medicamenta pro univerſo digeſtivo agnoſcere recuſat. Digeſtiva univerſalia in ♀ro quærere inſipidum eſſe videtur. Tantùm enim abeſt, ut ♀ea remedia omnes humores calidos bilioſos, & ebullientes cicurare, & temperare queant, ut eos potius cum ægroti damno exaſperent, & ad educendum ineptiores reddant *Inſtit. lib. 5. parte 2. ſect. 2. cap. 17.* idem aſſerit *Sala tartarol. ſect. 1. cap. 2.* Poteſt admiſceri plurimis medicamentis.

℞. *extract. cathol. Rolf. panchymag. Crollii* ā ℈ß,
♀*ri* ⊕*ti* ℥.v. *dacrydii* 🜍*ti* ℥.iij.
Miſce Formentur cum *elixir propr.* pilulæ no. 27.
Illinantur 🝆 *citri.* vel *cinamomi.*
D. in pyxide eburnea ⊖. Pilulæ catholicæ pro una vice ſumendæ.

MAGISTERIUM ♀ri cryſtallinum:

℞. ⊖ ♀ *ſicci* q.ſ. ∽ *Vitrioli* q.ſ. ſolutione factâ ſtent in leni calore. Exhalat phlegma, & in frigido concreſcunt *cryſtalli.* Eximantur, & in chartâ expandantur ſuper fornacem hypocauſti ut ſiccentur. Vitro concrediti pellucidi, in humido frigido non ampliùs ſolubiles.

♀RUM *Vitrioli liquidum* extollit, tanquam arcanum in phrenitide *Faber de morbis capit. lib. 3. cap. 6.* Diureticum enim eſt excellens, & 🜍 illud □æ, quod ad caput tendit, evehit, ægrorum oblivioni in ⊡ reddendâ ſubvenit, & obſtructiones, quæ dant inflammationes, tollit.

PANACEA *duplicata Schroderi*, Nitrum Vitriolatum *Gottorpienſe*, Arcanum duplicatum *Mynſichti*, ⊖ ſapientiæ, etiam eſt ex Vitriolo, ex ☠ ſcilicet 🜄tis, quatenus ex ⦶ & Vitriolo aa. ♌tur, quinque tamen alias 🜄tis deſcriptiones exhibet *Poterius pharm. p. 96.* Extrahitur ⊖ hoc affusâ fontanâ, crebris ſolutionibus & depurationibus inſtitutis. Adi ſis *chim. lib. 5. ſect. 1. artic. 3. cap. 5. Mynſ. armam. ſect. 1. pag. 10. Schroderum lib. 3. cap. 23.* ubi vires & virtutes uberiùs exponuntur. ⊖ *febrifugum* ex hoc ⦶tro Vitriolato in tertianis hoc autumno graſſantibus exoptatum præſtitiſſe fructum, non ſemel obſervavimus.

Huc ſpectat etiam MAGISTERIUM Vitrioli CICHO-

RACEUM, ABSINTHIACUM, quæ ex ⊖ibus horum, cum ∽ Vitrioli fixatis conficiuntur. *Chim. lib. 5. ſect. 1. artic. 1. cap. 5.*

Turcis in uſu eſt potus, quem vocant COFFA, ex bacca cognomine, quæ nigricat inſtar fuliginis, & acri, neque aromatico eſt odore. Illa in pulverem redacta ab ipſis ſumitur in aquâ ſic calente, ut admittat hauſtum. Eo potu utuntur in ſuis tabernis corroborante cerebrum. Condenſantur ſpiritus, ſecurè dormiunt, & hac ratione validi hilareſque metum ſibi tolli putant, uti autor eſt *Franciſcus Baconus Baro de Verulamio, ſylva ſylvarum cent. 8. experimento 738.*

Hujus generis commoda, quæ Turcæ à Coffâ multi à 🜍re Vitrioli expectant.

Hoc SULPHUR VITRIOLI ANODYNUM, *laudanum ſine opio*, eſt inter ſpagiricos pomum Eridos.

Paracelſus de reb. natur. cap. 7. miris extollit modis. *Quercetanus in conſilio pro nobili virgine* nepenthes ſuum ex 🜍 Vitrioli commendat. In 🜍re hoc, eſſe ſomniferum ſaccharinum, quod ſuavem afferat ſomnum, cum facultatum principum reſtauratione, operoſum eſt encomium *Helmontii de lithiaſi cap. 9.* 🜍 hoc citra venenoſitatem vires opii æmulari, ſcribit *Grembſius lib. 3. cap. 3. de remed. paracelſ. §. 62.* Adde *Vnz. de 🜍re in append.* Pro hoc Vitrioli 🜍re, tanquam pro aris & focis pugnat *Hartmannus*, qui ſequentem proceſſum pro arcano habuiſſe dicitur:

℞. *Vitriolum calcin. in* ☉*e.* q. ſ. ſolve in calidâ, affunde guttatim ☍ ♀, & 🜍 Vitrioli fundum petet, quod edulcandum & exſiccandum. Alium tamen ab hoc modum, ubi *Libavianum* & *Quercetaneum* reprehendit, compendioſiorem ſuâ ſententia laudat *in not. baſil. pag. 206. edit. Genevenſi.* Alios proceſſus, *apud Beguinum in tyroc.* alios in *Poterii pharm. p. 173.* plurimos collectos apud *Mollenbrocium, in eruditiſſimâ de varis diſſertatione, pag. 160.* 🜍 Vitrioli narcoticum, unde laudanum antiepilepticum, & antihyſtericum conficitur, ſingulare, *in comment. ad ideam Severini,* deſcribit *Wilielmus Daviſſonius pag. 614.*

His ſe ſe alii, eminentiſſimi item chimici opponunt. Se nunquam genuinum 🜍 Vitrioli vidiſſe confitetur *Crollius baſil.*

pag.

pag.288.A. Sala ſect. 1. aph. chim. 45. nec 🜍, *ſcribit*, nec ⊖, nec ○. in Vitriolo. Repetit *aph.* 19. nihil reperiri in minerabilibus, quod facultate ſomniferâ atque anodyna præditum.

Sed in præſentiâ

non opis eſt noſtræ tantas componere lites.

Nos nec rejicimus, nec commendamus. Conveniant primùm inter ſe hujus 🜍ris patroni, certam & legitimam præparationem excogitantes!

Nec obſtat, quòd principia chimica ⊖, 🜍 & ☿ ad hoc ⊖, ut illud appellat *anatomia ⊕li Salæ editione, quæ prodiit Aureliæ Allobrogum anno 1613,* minerale concurrunt. Repellit enim hunc arietem *Rulandus* apud *Rolfincium in chim.* non omnia faceſſere in tria chimicorum principia. Idemque ſentiendum de mineralibus, ex quibus non omnia eliciuntur. Concedi quidem poſſet latere ſeminium 🜍 in hoc Vitriolo, ſed an actu à ſubſtantiâ ſeparari tale 🜍 anodynum poſſit, ſine additione, aut extrinſecus accedente alio, magni nominis dubitant ſpagirici.

Cum igitur tam anceps ſit præparandi modus, rectiùs alii chimicorum peritiſſimi facere videntur, ne per mortes ægrorum experimenta dubiorum medicamentorum faciant, hoc tanquam dubiæ virtutis poſtponunt, & alia generoſiora in vitæ mortisque periculo eligunt. Vide *Chimiam lib.5. ſect.9. cap.8.* Nepenthes ex 🜍 Vitrioli narcotico non ſemper expectationi ſatisfacit, ſcribit *Rolfincius epitome cognoſc. & cur. aff. partic. cap.1. lib.1.* Non credimus Helmontio opiata explodenti, 🜍 Vitrioli narcotici dubiæ fidei vim ſcientes, addit *prælaudatus Dn. Præſes epit. lib.1. parte 1. cap.18.* 🜍 ⊕li anodynum, & tincturam ejus anodynam commendat quidem *Rolfincius*, ſed hac diſtinctione, *modo genuina haberi poſſunt*, additâ *ord. & meth. comm. lib. 7. ſect. 2. cap. 7.*

Commendamus potius in ejuſmodi affectibus, anodynum ſpecificum, εὔρημα καὶ πρὸς πάσας ὀδύνας extremum refugium, laudatum illud, ſed nunquam ſatis laudandum medicamentum, laudanum opiatum & magiſterium perlatum anodynum *Rolfincii*, quippe quod citò, tutò & jucundè corpori auxiliatur ægrotanti. Hoc dextre adhibitum in defluxionibus, doloribus,

& profluviis deſperatis ad miraculum uſque profuiſſe, ſæpiſſimè hactenus per aliquot annos in praxi Rolfincianâ experti ſumus.

COLCOTHAR Vitrioli eſt 🝎 poſt ☊tionem ∽, vel calcinatur in ✢bulo ad rubrum colorem Vitriolum. Ex hoc rubro, uti ex brunno ⊖, ipſum Vitriolum poteſt extrahi. In externo uſu eſt in ulceribus antiquis, fiſtuloſis, ſordidis, ſi cum ✢to impaſtetur, & unguentis admiſceatur, ſummo etiam cum commodo in nimio hæmorrhoidum fluxu ab autoribus graviſſimis externè applicatum laudatur. Magneticam qui ſomniant, per atomos emiſſarias curam, etiam hoc 🝎 in nimiis fluxibus commendant, in dyſenteriâ (ubi ſingularis efficaciæ CC. deprehendit *Anton. Guainerius de fluxibus tr. 1. cap. 9.*) diarrhoeâ, univerſalibus præmiſſis, ne materia intempeſtivè ſuppreſſa ad cor regurgitet. Suadent itaque feces reddendas ſuper hoc 🝎.

🝎 Vitrioli hæmorrhagias ſiſtit *Croll. de ſignat. pag. 58.* Hæmorrhagia dente evulſo ſedata, colcothare denti, & emplaſtro contra rupturam malis admoto, apud *River. obſ. comm. à Pachequo obſ. 28.*

🝎 Vitrioli à ſignatura & colore laudat *Crollius de ſignat.* exterius applicatum in aq. plantag. in eryſipelate, *pag. 55.* it. in ſcabie decoctum colcotharis *pag. 66.* Ex hoc 🝎 eſt medicina cerebri, aqua ad hydropem Paracelſi, & ♀, & hirundinariâ. *Diſſert. de ♀ro cap. 16.* Hoc 🝎 etiam quandam florum ♀ris ingreditur compoſitionem. *Diſſert. chim. de ♀re cap. 11.*

∇ ad podagram Knöphelii

℞. 🝎 *Vitrioli*, ⁜ a. ℥j, *opii thebaici* ʒſ,
∇ *chelidon. maj. ſambuci* a. ℥iv, F. Linimentum.

Intra tres horas dolorem tollit.

Ad clavos etiam eradicandos eſt emplaſtrum vulgatiſſimum viride, quod

℞. 🝎 *Vitrioli* q. ſ. M. cum viridi cerâ ad empl. conſiſtent. per aliq. ☍ imponend. Alias clavos, priùs vulneratos, poſt illinito ☍ Vitrioli vel ⊖is, non ſemel penitus abſumtos novimus. Sed exſectio & vulneratio dextrè fiat, hæc enim non patitur luſum. Infelicis exſectionis exemplum non ita pridem factæ, in cive Jenenſi notum eſt. Et

Clavo

Clavo pedis infeliciter diſſecto
periit,
Arctous Hannibal, Hercules Arctous,
Generoſiſſimus heros ac comes DN. JOHANNES CHRISTOPHORUS Königsmarck.

☠ hoc ſi aeri exponatur per annum, rurſus ſucco inebriatur ſuo, ut novæ ♌tioni ſubjici poſſit, qui ∽ magni æſtimatur. Calens adhuc ☠ exponit libero aeri *Sachſius*, & ſi aerem attraxit, ſine liquoris additione ex illo deſtillat ▽am, quam appellat chaoticam.

TERRA Vitrioli edulcata fit ex hoc ☠. Edulcatio inſtituitur ▽ fontanâ dulci. Tamdiu opus urgendum donec nullam amplius percipias ſalſedinem. Poſt in ☉le, vel crucibulo exſiccandum. Hæc terra adhibetur ad emplaſtra, ad empl. magneticum *Hartmanni apud Schröderum*, dia ♀ris *Rulandino Rolfincianum* & Opoteldoch. Hæc bina ultima inſigni virium acceſſione exaltata, debemus *Hermetico & Hippocratico medico conſummatiſſimo, & arcanorum naturæ myſtagogo Rolfincio.* Vide *chim. lib. 4. ſect. 1. artic. 4. cap. 4.* Opoteldoch emplaſtri ℥j plus præſtare, quàm ſtyptici ℥v, autor eſt *Felix Würtzius in chirurg. part. 4. cap. 2.*

Olim Germani equites capulo ſeu manubrio affigebant ceram, rubram, vel viridem, quo tempore neceſſitatis eâ ad vulnerâ uterentur, hodie potius eâ ratione magdaleones hujus opoteldoch ſuaderi poſſent, in ſanandis enim vulneribus, ultrà quàm ſcribi poteſt, valet.

Linimentum, ex quo naſalia cum goſſypio formata naribus in hæmorrhagiâ immittenda, deſcribit *ordo & meth. comment. lib. 7. ſect. 2. cap. 7.*

℞. ☠ *Vitrioli edulcati* ʒj, *croci* ♂ *adſtring. O rupei a.* ʒſ. Pulveriſ. minutiſſimè. Excipiantur albumine ovi cum ▽ *acaciæ.*

Reſtant VOMITORIA ex Vitriolo, inter hæc eminet SAL Vitrioli vomitivum. Varia honoris nomina huic tribuunt. Dicitur Manna vomitoriorum, *Langio in miſcellan. curioſis med. gymnaſm. 1. theſ. 5.* Emeticorum alpha. Nomine gratiſſi-

gratiſſimum, ut etiam pueris innocentiſſimam gillam convenientem appellet *Schröderus*.

Præparationis cardo omnis vertitur in legitimâ ad juſtum coloris gradum calcinatione.

℞. *Vitriolum* q.ſ. calcinetur in crucibulo aperto △ ad rubrum, poſt ad brunnum colorem.

vel

℞. ☠ ~ *Vitrioli ſaturatè brunni*. Affundatur ▽ *calida*, ſolvatur, ſi per diem naturalem ſteterit filtretur, lixivium reponatur in lenti △ ∴ digeſtione ad meliorem extractionem. Lixivium ſic exhalet, & hoc modo degenerat in ⊖, ſed pauciſſimum.

Propinari poteſt ægris, in vehiculo meabili, c. ſir. ſcillit, in juſculo, vino tepido, cereviſiâ calida ad gr. viij, x, xij, ad ℈j, pro ægroti, virium, & circumſtantiarum ratione. Poteſt etiam diſſolvi in ▽ aliquâ ſpecificâ, ut in affectibus capitis, ▽ cephal.

⊖ Vitrioli ingreditur etiam *ſpecies diaeſulæ Mynſichti*.

℞. ⊖ *Vitrioli* ℈j, ▽ *lil. convall. beton. a.* ℥ſ.
M. F. Hauſtus. D. in vitro.
S. Brechtranck uff 1. mahl

℞. ⊖ *Vitrioli* ℈ſ, ▽ *menthæ a.* ℥j,
D. S. Magenreinigung uff 1. mahl

℞. ⊖ *Vitrioli gr.* xviij, *ſacch. canthi albi* ℈iſ.
M. D. S. Magen-Sältzlein uff 1. mahl.

℞. *mannæ vomitor.* ℈j, *aq. hordei* ℥vj.
Solutione facta D.

Vomitui ſuperbibatur potio cereviſiæ calidæ benè butyratæ, ad eliciendas è ventriculo reliquias.

De uſu hujus ⊖*is Vitrioli* vide *antidot. privatum Andreæ Makii Medici Doctoris, & archiatri Rudolphopolitani meritiſſimi, p.43*.

Ex ⊖*le Vitrioli* exſtruit trochiſcos ſummæ utilitatis *Freitagius in aurorâ medic. p.43.* ad pellendos vermes, & vomitum.

℞. ⊖ *Vitrioli* ℈j, *calamenthi, agarici trochiſc.*
extr. centaur. a. ℈ſ, ☍ *myrrhæ* gr. iij,
F. Trochiſci. Dantur gr. 6, 7.

Crollius

Crollius, & *Grülingius floril. part. 4. cap. 1.* ⊖ Vitrioli & gillam Paracelſi pro uno & eodem habere videntur. Me oedipo, *verba ſunt Billichii*, gillà nihil aliud eſt, niſi Luna purgans, vel aliquod ſimile ex argento Vitriolum. Omnia vomitoria, ſive ⊖ia ſive liquores gillas vocat *Schröderus.*

GILLA Paracelſi communiter ſic deſcribitur:

℞. *Phlegm. Vitrioli* ℥j, acuatur c. *Vitrioli optimi* ℈j, in hoc ſolve *Vitrioli* ♀*ris* ℈iv. Filtra & dimidium lento △ evaporare permitte Doſ. a. ℈ſ, ad ℈iſ. Efficaciùs hic liquor operari fertur.

ALBUM Vitriolum vomitivum *Crollii baſil. pag. 24.* Solve Vitriolum album in ▽ pluviali, & evapora donec cruſta appareat, poſt per aliquot horas in loco frigido concreſcent cryſtalli. Exime, et perge cum aqua evaporando & coagulando. Doſ. ℈j, ℈ſ. In Galliâ Narbonenſi Vitriolo albo aliquoties purgato, cum ſummâ εὐφορίᾳ inconſulto medico, *teſte Poterio in pharm.* utuntur ruſtici.

Quatuor Vitriola vomitiva habet *Schrôderus lib. 3. cap. 26.* quæ intra quadrantem operentur.

His medicamentis multum tribuunt, qui ad vomitoria tanquam aſylum recurrunt. *Helmontius tr. ignot. act. regim. pag. 270.* & *D. Chriſtianus Langius Prof. quondam Lipſienſis celeberrimus miſcellaneis curioſis.*

In epilepſiâ, ſi nihil juvant vomitoria, omnia deſperata pronunciare nonnulli non verentur. Plura *in chim. lib. 5. ſect. 1. artic. 4 cap. 3.*

⊖e Vitrioli recentem epilepſiam curatam confirmat *River. praxi lib. 1. cap. 7. & 8.* Coma ⊖le Vitrioli tutiùs & citius curari idem aſſerit *lib. 1. cap. 2.*

In apoplexiâ plurimi vomitoriorum patroni. *Dominicus Leonus lib. 2. ſect. 1. cap. 15.* & plurimi alii laudant. Inſurgit contra hos *Ludovicus Septalius*; cujus contra vomitum adductas rationes non leves exiſtimat *Rolfincius in affect. cap. diſſert. 9. de apopl.* & inprimis damnat ⊖ Vitrioli. Vid. *inauguralis de apoplexiâ Excell. Friderici Phil. & Med. Doctoris P. P. Præceptoris ætatem æſtimandi cap. 9.*

Vitriolata vomitoria in affectibus pectoris, ut inimica vi-

G tanda,

tanda, *notant nota Beguinea,* quæ *Salam* reprehendunt, qui commendavit.

Vomitu ex ⊖*lis* ⊕*li* ℥j curavit ſuppreſſionem □æ *River. obſ.81. cent.1.*

Sed uti non rejicimus hæc ⊕ta vomitoria, vel ob operationem laborioſiorem, potiùs tamen commendamus ☿rium vitæ. Non quidem ☿ium vitæ *Crollii*, qui eſt purum putum butyrum ♁ii corroſivum, & hôc utentes meritò temerarios vocat, ſed ≂tum ex hoc butyro & edulcatum, & ab omni corroſione liberatum pulverem. Hic adhibitus tutò, citò & jucundè facit officium.

Hic ☿ eſt re, non nomine. Nihil habet de ☿rio, ſed eſt ſoboles ♁ii, non excitat ☿rialia ſymptomata, ſalivationem, dentium vacillationem, artuum tremorem, nec poteſt reduci in currentem, ut cætera ☿ialia, ſed reducitur in vitrum ♁ii, certiſſimo indicio quod ſit filius ♁ii. De ſaluberrimo ejus uſu ſcripſit *Freitagius libro teſtium veritatis*, ubi irridet appellantes ☿ium mortis & vitæ æternæ, ritè præparatum. Inconſiderata exhibitio ſæpe nociva, non tamen methodicus & rationalis uſus.

ARCANUM ⊕li claudat agmen.

Sunt plurimi arcaniſtarum, qui medicamentorum titulis morbos volunt fugare, cum tamen interdum parum inſit virium medicamini. Exſtruunt titulos, propter quos vadimoniũ deſeri poſſet, ut de Græcis jocatur *Plin. nat. hiſt.* at cum introiveris dii deæque quàm nihil in medio invenies. Hinc non niſi gemmatis, exemplo Arabum, qui primi teſte *Poterio in pharm. p.246.* uniones medicamentis addidere, non niſi auratis, autoritate Ægyptiorum, qui recenſente *Höfero in Hercule med. lib.2. pag.96.* primi aurum miſcuerunt, utuntur, quaſi ſine ſumtibus, & ſine deauratis inteſtinis non liceret mori. Nihil enim præter inteſtinorum deaurationem aurum in corpore præſtare, contra *Mizaldum* defendit *Quercetanus*. Eundem honorem exhibent ⊕lo. Inde eſt ſpecioſiſſimum nomen ARCANI Vitrioli, cum tamen nihil ſit præter ⌒tum Vitrioli cum ⊖le coagulatum.

℞. ⊖ *Vitrioli optime depur.p.*ij, ☍ *Vitrioli p.*iij,

Repo-

Reponantur in △ ∴, donec lapis appareat. Hoc marmore læ-vigato ad gr. iij. in febb. tertianis ſummo cum effectu ſe uti glo-riantur. Vide *Mynſicht*.

Operoſius aliud deſcribit *Rhenanus in ⊙e è puteo emerg.* quod vocat medicinam paucis notam, licet plurimi glorientur.

CAPUT VII

liquidorum catalogum recenſet.

PLurimis, ſi non omnibus, hiſce deſcriptis, ad alteram claſſem, nempe liquida medicamenta, devolvimur, paucis adjici-enda.

Strabo Geograph. lib. 17. de rivulo ex Calchantis & Podali-rii ſacellis in Dauniâ profluente memoranda narrat, *ῥεῖ γὰρ ἐξ αὐτῶν ποτάμιον, πανακὲς πρὸς τὰς τῶν δερμάτων νόσους, ex iis fluit rivus ad omnes cutis morbos utilis.* Ex noſtro Chalcantho profluit fluvius ad internos, & externos morbos proficuus.

Ille eſt SPIRITUS vulgaris, acetum eſurinum, monta-num, Philoſophicum dictus. Huic ~tui chalcanthino, &, *Pa-læmone Beguino,* regi omnium ſpirituum mineralium, prima de-betur autoritas.

~tum parandi modus binis conſtat ἐγχειρήσεσι. Calcinan-dum enim prius Vitriolum, & ▽ ſive liquor phlegmaticus ſe-parandus per evaporationem, ne vaſa in ♌tione rumpat, & ſic oleum, & operam perdas.

℞. ergo *Vitrioli Goslar.* ℔xviij vel q.v. inde ollæ vitreatæ, appone flammæ, & urge calcinationem △rotæ, ad liquoris ab-ſumtionem, & impetrabis Vitriolum albicans. Hanc maſſam contuſam crede retortæ benè loricatæ, vel ferreæ, ad dimi-dium ut impleatur, & urge ignem per aliquot ♂♀, nam Vitrio-lum inexhauſtus theſaurus, adaptato recipiente, & roſtris in-termediis bene munitis, prodibit ~tus, & ultimò ○○um. *Bren-delius in chimia* dicit tot horas inſumendas, quot libræ ſint in ♉ta. Alium proceſſum vide *Senn. de conſ. & diſſ. cap 19.* Cur au-tem non addatur bolus, rationem reddit *Helmontius*, quod Vi-triolo adjuncta ſit ▽ra colcotharina. Nam cæteris ⊖ibus ad-

miſcetur in ℘tione terra figulina, ut *autore Billichio obſ. chim. lib.1.cap.5.* futuram ebullitionem præcaveant. Omnibus frigefactis, °o° cum ∾tu conjunctum, quod ſeparandum, in recipiente obſervatur.

Temperies à *Caſtello*, acida omnia pro frigidis habente, frigida aſſignatur, *epiſt.* tamen 2. quaſi dubius ſcribit, ſi contrarium veris rationibus & experimentis, unica experientia prævalet mille rationibus, ait *Caſtrenſis in poſthumâ varietate pag. 24.* demonſtrari poſſet, mutabimus ſententiam. Re verâ calidus eſt ∾tus vide *chim.pag.161.* Quamvis autem actu ſit calidus, tamen potentiâ edit frigidos effectus, incendiis ſanguinis inflammationibusque ſuccurrit. Refrigerat ergò non per ſe, ſed per accidens cauſam calefacientem tollendo, & ex mente fermentatorum præcipitando. Refrigerat admiſtione frigidi. Variato ſocio calefacit & frigefacit, ſcribit *Caſtellus epiſt.4.* Roborat ventriculum, vermibus reſiſtit, patrocinatur renibus in περιφυλάξει καὶ θεραπείᾳ calculi, virtute balſamica reſiſtit putredini, præſertim ſi cum aliis alexipharmacis miſceatur. Alii dicunt hermaphroditicæ eſſe naturæ.

Paracelſus in hoc ∾tu quærit lapidem medicinæ triangularem, & arcanum caduci.

Lipſius cent.1.epiſt.81. ∾ ⊕li tanti æſtimat, ut inventorem Deum h.e. hominem feliciſſimum, proclamare non erubeſcat.

Heurnio lib. 1. meth. teſte ∾ ⊕li aliis miſtus ſtomachum roborat, aperit, putredini reſiſtit, renes ſaburrâ liberat, eſtque in peſte dulce præſidium, ipſius *Jordani tract.1.de phænom. cap.9.*

Tanti æſtimatur ∾ ⊕li in Italiâ, ut *Caſtellus* lege ſancitum velit: *ne quis audeat eum, vel publicè, vel privatim refellere, accuſare, condemnare.* Ipſe dux Florentiæ ∾tum hunc ℘ndum & diſtribuendum curat. Refert quoſdam Cardinales, gratis ∾tum diſtribuiſſe, *Caſtellus.*

Non præſcribitur ad uncias aliquot, ſed legitimâ doſi. In primo cochleari juſculi dandæ guttæ 4, 5, 6, in altero iterum. In canthara cereviſiæ, vel vini gutt.20,25. Imperitus quidam apud *Laur. Hoffmannum de uſu & abuſu chim. pag. 24.* °o° piperis ſeſquidrachmam, & °o° ⊕li ʒiß, unico hauſto infeliciter

ter propinavit, quî potuere aliter fata de hoc ægro diſponere?

Dandus eſt in vehiculo competente, vix ullam eſſe medicamenti ſpeciem, quæ renuat ∽tum 🜖li, aſſerit *Billichius*, largiori, ne priùs abſorbeatur, quàm perveniat ad partes affectas. Non dandus ſiccis, nec picrocholis. Inducere etiam ſterilitatem, autor eſt *Laur. Hoffmannus*.

Particularis uſus ∽ 🜖li: convenit ferè in omnibus affectibus, cum vehiculo ſpecifico aſſignato à *Dorneo artis alchim. lib.3. & Claudio Deodato panth. hyg. lib.1. cap.139.*

In Epilepsiâ naribus illitus, ubi *Hollerius de morbis internis* crudum 🜖lum diſſolvit, & inungit nares, confert. ∽ 🜖li ritè præparati gutt.v, in iuſculo manè ſumtas præſervare ab epilepſiâ ſcribit *Crato à Krafftheim conſil. 107.* ∽ 🜖li ſi miſceatur cum °o°, *opobalſami illius Europæorum*, ſuccini, a. gutt. iij. in ▽ beton. ab epileptico paroxyſmo liberat. *River. lib.1. cap.8.*

Faciei *morbis*: *Foreſtus* in ungue oculorum laudat collyrium ex 🜖lo. Quæ tamen 🜖ta medicamenta, non ſine diſcrimine adhibenda. Proſtat etiam unguentum Vitriolatum oculare, *in pharmac. Amſtelod.*

Faucium: *Riverius* in angina temperat potum ∽tu Vitrioli, quo tranſeundo per loca affecta, inflammatio temperetur, & maſſa fermenteſcens ſanguinea coerceatur.

Cordis infirmitatibus etiam ſuccurrit. Palpitationi cordis laudat ∽ Vitrioli gutt.iij,iv, cum ▽ citri vel aurantiorum ℥j *Fonſeca tom.1. conſult.24.*

PECTORI languenti ſubvenit. In hæmoptyſi conducibilius nihil expertus *Monavius* apud *Scholzium*. Confirmat id ſuo exemplo *P. Caſtellus & Excellentiſſimus Dn. D. Joh. Theod. Schenkius P. P. Præceptor & p.t. Decanus venerandus*, in cujus prælectionibus publicis plus vice ſimplici audivimus, acida habere vim coagulandi. Miſcet ∽ 🜖li cum ▽ont. & hoc adhibito liber per aliquot annos ab hoc malo evaſit. *Caſtellus epiſt.2.* contra *Mindererum* laudat, ſe plùs centum hæmoptoicos ejus uſu liberaſſe aſſerens. Idem facit *Capivacius praxi lib. 1. cap.39. &*

 lib.

lib. 2. cap. 5. & 7. potiunçula ſequens ſubitò ſiſtit ſanguinem tuſſi vel vomitu rejectum. *Rivcr. lib. 7. praxi cap. 6.*

℞. ⊕li ℈ß. ▽ *plantagin* ℥iv. M. F. D. S.

VENTRICULI eſt ſolatium. *Paracelſus* ὑπερβολίζει, cum dicit, ventriculum ab eo ſic roborari, ut coctilia, non ſecus ac ſtruthio ferrum alteret. Quicquid ferrati *Plautini* dentes non comminuunt, illud hic frangit. Reſuſcitat fermentum quaſi ſepultum. In anorexiâ commendatur tenore veterum qui acetum, & ex aceto parata ad appetitum excitandum laudarunt. *Paulus Ægineta lib. 3. de re med. cap. 37. Trallianus lib. 7. cap. 5.* ſed hîc etiam obſervandum: NE QUID NIMIS. Datur optimè in electuariis. Hinc eſt CONSERVA ROSARUM ⊕TA, medicamentum in omnibus ventriculi affectibus magnæ utilitatis, præſcribitur ita;

℞ *conſ. roſar. rubr. vitriolatæ antiq. menthæ criſpæ*,
conditi corticum citri, aurantiorum ℥j,
ſpec. diarrhod. abb. roſatæ novellæ ā ℈ij,
℅ *cinamomi, aniſi, citri* ā gt. 10.
ſirupi conſervat. Zingiberis ā q. ſ. M: F. ſ. a.

D. in pyxide lati orificii. S. Stärckende Magen Lattwerge/davon früh und nachmittage ein paar Meſſerſpitzen voll zu nehmen.

EPATIS in fluxu extollit *Fonſeca tom. 1. conſ. 92.* ſuccum totius cichorii & ſonichi cum gt. 4. Vitrioli pro doſi. In fluxionibus ab intemperie hepatis motum humorum cohibet. A calidâ intemperie hepatis & ſanguinis æſtu gonorrhoeam excitatam in duobus, non ita pridem ſedatam Vitrioli cum aliis miſto, novimus. In hydrope etiam convenit.

VERMIBUS inteſtinorum exitiale eſt venenum, Vitrioli, ſi quibusdam ejus guttis imbibatur aliquid ſacchari, igneque in phialâ digeratur & teratur poſtmodum, miræ virtutis in necandis & expellendis vermibus, ſcribit *Langius in valetudinario infantili.* Refert *Schenkius lib. 3. obſerv. 298.* quendam pharmacopœum alicui dediſſe ℥j. Vitrioli, atque eâ immenſæ latitudinis lumbricum latùm expuliſſe, non ſine ſævis torminibus. Svadet igitur, *Adrianus Spigelius*, primum enecantia, poſt expellentia, *lib. de lumbr. lato cap. 17.*

In

In RENUM & VESICÆ affectibus, calculo inprimis. 🜊🜖li ad ℥ß. in 🜇 olivarum in omnimodâ 🜕 obſtructione exhibuit *Verbèzius*, in 🜄 agrimon. *Matthiolus*. In calculo cum 🜄 ſaxifragiæ ſvadet *Loelius à Fonte conſult. 40.* Cum ſero caprillo 🝫to *Bened. Sylvaticus cent. 3. conſil. 76.* Vide *obſervat. Panaroli* apud *Dietericum in iatreo Hipp. pag. 824,*

In ARTHRITIDE quantum poſſit ſingulo mane ad aliquot guttas ſumtus, incredibile, ſcribit *Crato conſil. 229.*

In FEBRIBUS & PESTE, Spiritum 🜖li convenire, multis pauci momenti rationibus, medicinarum chimicarum ignarus *Job. Baptiſta Sylvaticus controv. 48.* negavit. Verum ejus ſententiam hîc pluribus examinare actum eſſet agere, cum à multis in veritatis thronum ſit aſſerta affirmativa. *Rolfincius de febb. Joel.*

Ex 36. autorum ore illum laudat in peſte *Unzer. de peſte cap. 4. & antid. peſtil. diſtinct. 5.*

Magnifacit 🜊tum hunc in febribus, & ex 100. autoribus proficuum uſum deducit *in epiſtolis Caſtellus.*

Satis multus in encomiis antipeſtiferis eſt *Sennertus lib. 4. cap. 11. de febribus.*

In febribus 🜊tum 🜖li materiam remedii eſſe nobiliſſimam, expertus eſt *Hercules Saxonia lib. 1. pract. med cap. 16.*

In febribus peſtilentibus 🜊tus vitrioli eſt medicamentum ſine pari, ſcribit *Horatius Augenius de peſte cap. 17.*

Acida in febribus puncturalibus, & malignis tum ad ſitim & putredinem ſiſtendam, tum appetitum excitandum, expetit *Petrus à Caſtro de febribus malignis.*

🜊tus Vitrioli in febribus putridis refrigerat, ſitim Tantaleam ſedat, putredini reſiſtit. *River, lib. 17. cap. 1. Matthiol. in Dioſc. lib. 5. cap. 74.*

Omnibus cibis & potui in febribus admiſcendum ſvadet *Fonſeca conſult. 47. tom. 1.*

Spiritus Vitrioli in febribus, plurimis ſatisfacit indicationibus, effervescentiam ſanguinis præcipitat, malignitati reſiſtit, attenuat, obſtructiones aperit, per 🜕am pellit. Hinc in febribus præſcribuntur emulſiones ex ſeminibus diureticis.

Veteres

Veteres frigidam, arte ferè triplici, uti patet ex *poſthumâ varietate Caſtrenſis, lectione 4. extemporaneâ*, factam ad ſitim extinguendam adhibebant. Hoc omne exſpectare poſſemus à Spiritu Vitrioli. Hinc Spiritu Vitrioli in febribus acidulantur julepi, ſigno communi *autore Morello lib.1.cap.3.* addito, Q.S. Relinquitur doſis pharmacopœi judicio accurati, non qui opium pro apio, furfures pro farfarâ, coccum pro croco, quales errores plures deſcripſit *Roſenberg roſa jatricâ*, ſubſtituit.

In DYSENTERIA convenire videtur aſſerere *Mindererus & Caſtellus*. Feliciſſimè ♂tis Vitriolo *Finkium enchir. cap. 21.* hîc uſum fuiſſe refert *Dieter. in iatreo Hippocr. pag. 380.* obſtare tamen videtur exulceratio.

An in MELANCHOLICIS AFFECTIBUS *conveniat?* dubitant nonnulli.

Acida juxta *Galenum 4. ſimpl. 12.* ejusmodi vires obtinent, ut judice *Mercato lib. 6. de febribus* gignendo melancholico ſucco ſint commodiſſima. *Hippocrates*, qui teſte *Macrobio in ſaturn.* neque falli, neque fallere potuit, *3. de vict. acutor. t.38.* acetum melancholicis adverſiſſimum eſſe dicit. *Senn. in paralip. p.108.* improbat illam conſuetudinem acida in omnibus ferè morbis exhibendi, & cauſam eſſe, cur affectio hypochondriaca ita frequens & diuturna. Hâc enim ratione cum plus damni, quàm commodi dederint, ſcirrhum tandem lienis vel jecoris, & hunc ex *Galeni* mente immedicabilem pronunciant, uti de ſui ſeculi medicis conqueritur *Joh. Fienus lib. de flatib. cap. 4.*

Vulgò quidem dicitur, acida melancholiæ pabulum eſſe, quod tamen cum limitatione explicat *Mercurialis* apud *Horſtium t.3. prob. dec. 7.* Et ipſe *Galenus* lienoſis acetum laudat, *lib. 9. de medic. compoſ. κτ̀ τόπες, cap. 7.* quem nonnulli ſequuntur.

Uſus habet laudem, crimen abuſus habet.

CIBIS immiſcendum & juſculis negat *Joh. Löſelius in ſcrutinio renum pag. 23.* Verentur, ne crudus chylus, ſimul rapiatur ad renes. Sed nullum periculum in moderato uſu, & doſi.

SPIRITUM 🜖, & ⊕li differre, negat *Sennert. paralip. pag. 95.* & *Barthol. ſyſtem. phyſ. in proœmio part 3.* Urgent tamen nonnulli

nulli præparari poſſe diverſa ex ſpiritu ⊖l. & 🜍. Sic crocus ♂ illinitione ſpiritus 🜍 gratior eſt, quàm qui ſpiritu ⊖li fit.

Ingreditur ~ ⊖li pretioſiſſimum illud medicamentum ſpirituale, uti vocat *Riv. in epilepſia*, MISTURAM SIMPLICEM. Nomen quidem abſonum, ſed ſi res integra, parùm curamus quid nominis, ſcribit alicubi *Höferus*. Simplex enim dicitur, reſpectu aliarum ex hâc compoſitarum, uti nobilis miſtura antiparalytica ⊖ta *Rolfincii in affect.cap.diff.10.*

Inſervit ~ ⊖li pro extrahendis tincturis colorum & virtutum. Parantur hæ tincturæ ex variis. Ex violis recentibus, ex roſis autem ſiccis, *monente Poterio*, flor.calcatrippæ &c.

℞. *fl.roſ.rubr.ſiccar.* ℥ß, *borag.bugloſſi* a.ʒj.
Inde in 🜄 *ont.tepidæ* ℔iß 🜄 *cichor.roſar.* a.℥iij, inſtilla ~ ⊖*li* ʒß, & extrahe *tincturam.* Coletur, edulcetur, ſervetur uſui.

Hæc tinctura ſæpius detur ad cochl. aliq. Pertinaci calori hepatis, & ſiti potenter reſiſtit, cordialis eſt, & alias principes partes refrigerat

vel:

℞. *hujus tincturæ* ℔ß, 🜄 *cinam* ʒij, aciduletur
~ ⊖*li.* D.S. Tinctura cordialis.

In paroxyſmis febrium, ubi Tantalea ſitis, medicus non ſit nimis ſtrictus in denegando potu, & præcipuè ſub declinatione, ubi ex potu refrigerante ſudorem, & ſic finem paroxyſmi promotum, obſervari datum eſt. Huic uſui inſervire poterit potus acidulatus. *Sennert.lib.1.pract.fol.334.* tale præſcribit refrigerans:

℞. 🜄 *ont.* ℔ij, *aq.trifol. acetoſæ, pap.errat* a.℔ß,
~ ⊖*li* ℥j, vel *q.ſ.fl.viol.borag.nymph.* a.ʒj,
pulv.ſandali rubri ʒiij. Stent in infuſo, liquor rubicundus edulcetur.

Tinctura violar. fit coerulea per ſe, ſi affunditur ~ ⊖li purpuraſcit, ſi ~ ☽ flaveſcit, ſi ~ CC. virideſcit, ſed hic color inſtabilis.

Utuntur hoc ſpiritu in MAGISTERIIS præparandis. Quæritur, an magiſteria hoc ſpiritu parata ſint rejicienda? objiciunt exemplum *Cratonis*, qui refert cuidam ex talium magiſteriorum uſu ventriculum eſſe eroſum.

Verum ut in præſentia noſtrum non eſt, omnia magiſteria

H defen-

defendere, ita dicimus magiſteria ſpiritu ⊕li parata, & legitimè edulcata, omnem illam acidam, quod ſapor docet, vim deponere. Morem tamen illorum non excuſamus, quo in nonnullis locis magiſteria cum 🜅orti parata, & exſiccata adhibentur: nonne hic eſſet metuendum periculum? Ex perlis & coralliis optimæ & inculpatæ fidei eſſe magiſteria cum ſpiritu ⊕li parata defendit, *nobiliſſimus & excellentiſſimus Dn. D. Statius Henricus Crauelius, Conſul & Phyſicus Oſterodanus meritiſſimus, patronus noſter ſingularis, in ſuâ enucleatiſſimâ de diaphoreticis, olim ſub præſidio noſtri πολυμαθεστάτου Rolfincii habitâ diſſertatione ſect. 2. cap. 1.*

An ſit MENSTRUUM univerſale?

Magiſteria, ſic dicta *Roderico à Caſtro lib. 4. cap. 3. de meteor. microcoſmi*, quòd magno magiſterio fiant, ſunt diverſa, ergo etiam requirunt diverſa menſtrua. Extollunt nonnulli ſpiritum roris majalis. Adi *Joh. Nardium diſquiſ. phyſicâ de rore cap. 20.* Sed ⊖ia, quæ amica ☿io, inimica ſunt 🜍ri, unde rectè concludo, nullum menſtruum univerſale, uti alchimiſtæ de ſuo alkaheſt prædicant, aſſignari poſſe, ſcribit *Kircherus arte chimiurgicâ pag. 434.*

Ad plurima alia adhibetur hic ſpiritus. Per illinitionem paratur CROCUS ♂. Cum hoc paratur TINCTURA CORALLIORUM *D. Langeloti* apud *Schröderum lib. 3. cap. 6.* Sumitur ad ELIXIR PROPR. Corrigit VITRUM ♁ii, inde ſpiritus ⊕li PURGANS *Hartmanni.* Corrigit OPIUM aſſumendum in theriacam, *Neucrantz de purpurâ cap. 32.* Ex terra ſigillata & ſpiritu ⊕li eſt *AURUM POTABILE Bartholeti.* Ex ſpiritu eſt NECTAR & ANIMA ⊕li *Mynſichti.* De TINCTURA ⊕ta ⊖lina vide *Dn. Faſchii med. Lic. archiatri Saxonici experientiſſimi, fautoris & conſalini colendi, inauguralem de cauſo cap. 52.* PILULAS diureticas ex tereb. & ſpiritu ⊕li *Cloſſæi* commendat *Schroderus.* PILULÆ Peruvianæ *Mynſichti* ſunt ex hoc ſpiritu. It. ELIXIR VITRIOLI *Mynſichti*, quo nobilius ſtomachicum nondum inventum autor ſcribit. Tale etiam Elixir deſcribit *Libav. ſyntagm. l. 12. c. 43.* Ad 🜅tem ſumunt, & meliùs eſſe dicit *Polemannus de 🜍 philoſ. pag. 61.* ſi ſpiritus ⦶ & ⊕li

&⊕li

& ⊕li ſeorſim ♌ti, miſceantur, & rectificentur, nam ſpiritum ⊕li retardare ſpiritum Ⓓ.

De Spiritus Vitrioli USU TUTO non deſunt in ſcholis medicorum qui dubitant.

Ut fœcunda ſolent arva ſæpe luxuriæ ſegetes corrumpere, ſic fervida ingenia, uti loquitur alicubi *Mercurialis de ſubtiliſſimo Scaligero*, interdum ultra veros ſcopos ferri non eſt mirandum.

P. Caſtellus licet ſæpe uſus eſſet feliciſſimè ſpiritu vitrioli, & ſuos Præceptores utentes vidiſſet, tamen pruritu novitatis, ob inanes cerebri titubantes, uti illum incuſat *Verbezius*, conceptus de uſu cepit dubitare. Videns, ſe rem acu non tetigiſſe, palinodiam cecinit, & CHALCANTHI TRIUMPHUM ſcripſit, & quò acrior proſecutor, eò ſerior exſtitit amator.

Thomas ille *Eraſtus*, *Germaniæ Ariſtoteles*, plùs quàm odio Vatiniano proſequutus eſt hunc ſpiritum, veritate tamen victus ad *Monavium* ſcribit, chalcanthi liquorem tutò uſurpari poſſe.

Johannes Baptiſta Sylvaticus controv. 48, multis verbis impugnat, & 1. incommoda crudi vitrioli adſcribit ſpiritui falſiſſimè. Spiritum ⊕li non differre, à crudo ⊕lo, errorem ferulâ dignum cenſet *Caſtellus*.

2. Non ſequitur, quicquid corrodit externè, illud etiam internè. Succus citri corrodit corallia, hic enim legitimum habetur menſtruum tincturæ coralliorum, ergo etiam ventriculum. Contrarium teſtatur experientia. Euphorbium, cantharides externè corroſiva, & tamen internè dantur. Acidulæ ſtomachum Marchionis Badenſis, ſi teſti oculato *Piſtorio in orat. funebri*, credendum, perforarunt, ergo non eſſent ſumendæ. Cauſtica vis ⊕li reſidet in oleo. Veteres ſemper dixerunt °°°um, quod nunc ſpiritus dicitur, non tamen legitimam ut nunc eſt, præparationem calluiſſe, patet ex ipſo Cratone. Hinc nemini mirum ſit, cur °°° ſuo interdum infelices adſcripſerint ſucceſſus.

3. Aciditas nonnullos offendit. Acida autem nervis & utero inimica. Hic pro conceſſo arripiunt acida, ex mente veterum eſſe frigida, jam vero *Hipp. aph. 19. lib. 5.* concludit, frigida

nervis inimica. Verum ſe ſe explicat *Hipp. aph. 24*, intelligi frigida actu, ut nix, glacies. Conceſſo igitur, acida, ✠tum, ♁ minerales acidi, uti *ſupra* probavimus, non eſſe frigida, etiam hanc inſtantiam labi neceſſe eſt. Sed ſit uſus moderatus.

4. Non expelli ſpiritum ⊕li ex ventriculo, qui dicit, naviget Anticyram helleborum potaturus. Acidulæ naturales etiam ſunt graves, num & hæ in ventriculo morantur?

Utatur igitur hoc medicamento quilibet, verba ſunt *Caſtelli epiſt. 1.* ſine ullo metu, ſine ſcrupulo, ſine ullâ imaginatione periculi, malignitatis, veneni, dummodo convenienti doſi mixturâ, tempore, adhibeatur.

Infauſti ſucceſſus ab hujus uſu abuſus ſunt conſectaria effecta, non verò conſiderati uſus.

Crede mihi vanos res habet iſta metus.
Terror in his ipſo major ſolet eſſe periclo,
quæ timuiſſe libet, me timuiſſe pudet.

Dum autem cauſam agimus hujus ſpiritus, non excuſamus omnes, ſed legitimè præparatum, ſunt enim nonnulli, qui in ♌tione aliquid ⦶tri addunt, ut copioſiorem impetrent ſpiritum, quid hic aliud quam ▽tem redolet? Nec excuſamus promiſcuum uſum, quo utuntur *garrula anus*, *olidus balneator*, *audaculus tonſor, perfidus judæus*. Cum hodiè

Fingant ſe medicos quivis idiota, ſacerdos,
judæus, monachus, hiſtrio, raſor, anus,
miles, mercator, cerdo, nutrix, & arator,
vult medicas quivis vanus habere manus.

Nam *Galeno autore 6. de* medic. *ſec. loca cap. 3.* tùm demùm φάρμακα χεῖρες θεῶν, *medicamenta deorum manus*, cùm quis iis methodicè utatur. Sic noſtri ⊕li ſpiritus circumſpectum & prudentem etiam quærit medicum, qui juſtâ doſi, conveniente vehiculo, legitimo tempore, & moderato ex arte uſu, adhibeat, & ſic experiatur medicinam nobiliſſimam.

ROS ⊕li, ſeu ſpiritus ⊕li roridus appellatur, quando ℞. ⊕li ℔vj, vel q.ſ. ♌l. ex phiolâ per XX. Liquor cohobetur ſuper ☠ Hinc ſi novies ſic ſupra ☠ cohobatus, eſt ſpiritus ⊕li correctus *Paracelſi*, quem per nonum alembicum jubet pelli.

In

In hoc ſpiritu reſidere vim aſtralem, vires antiepilepticas, depuratorias, & cephalicas nonnulli putant.

∽ ⊕li *ANTIEPILEPTICUS* minoris apparatus eſt, quando cohobatur ∽ ⊕li ſuper ☹, quem pro epileptico commendatum ſibi habuit Auguſtus dux Anhaltinenſis. Vel rectificatur ſupra cranium humanum,

Majoris apparatus proceſſus habet *Hartmannus*, *Crollius* *Quercetanus* ex ſpiritu □æ, hujus efficaciam expertus *Agricola in comment. ad Poppium pag. 317.* Uti *Valleriola* ſuccum rutæ laudat antiepilepticum *obſerv. 7.* ita ſpiritum hunc dicti extollunt autores.

∽ ⊕li VOLATILIS, antiepilepticus, & antiapoplecticus Ꝭl. cum ♃. Vide *Senn. de conſ. & diſſ. Paracelſ. paragr. lib. 3. cap. 4.*

∽ ⊕li CORALLISATUS qui ſuper corallia ex ∴ rectificatur, & hac ratione ipſi demi corroſionem autumant. Idem tentat *Grulingius* dum affundit roſis ſiccis ſpiritum.

∽ ⊕li GUMMOSUS, dicitur butyrum ȝii.

∽ ⊕li DULCEM nuſquam niſi in libris reperiri cum *Angelo Salâ* defendit *experientiſſimus Conringius lib. de hermet. medic.* Sibi nunquam licuiſſe videre ſpiritum verè dulcem aſſerit *Crollius.* Miratur *Andreas Tenzelius in exegeſi chimiatricâ*, Crollium tam hoſpitem fuiſſe in ∘°∘ ⊕li dulci confectione. Sed hunc bonum Tenzelium rurſus miratur *Billichius* dulces nugas aſſerens *Tenzelium* pro dulci ∘°∘ obtrudiſſe.

∽tum dulcem tamen proponit *Rhenanus*, & *Libavius* adjectis lapidibus ♋, CC. uſto. Alii immittunt ferrum candens, ut *Beguinus*, ſed hâc ratione virtus adimitur, ait *Hartmannus ad Crollium pag. 227.* Imo ſpiritum ⊕li absque aciditate, ne pili quidem fecerim ſcribit *Caſtellus epiſt. 1.*

Spiritus ⊕li CORDIALIS A. *Salæ*:

℞. *oſſis cervini* (C. C. uſti) *recenter albiſſ. calcinati* ℥vj,
ſpiritus Vitrioli ℥viij.

Immitte in calcinatum & areſcet, ita ut in pulverem poſſes redigere. Stent 10 ♂, deinde per ☊ Ꝭla. Habet hoc pro cordiali præſtantiſſimo.

Sed graviſſima eſt cenſura *Zwelfferi in mantiſſa herm. p. 752.* nihil in hoc reperiri laudandi.

Ex ⊕lo eſt ▽ PENOTI APERITIVA, cujus deſcriptio exſtat apud *Penotum* ſub nomine ▽ mirabilis, & *Sennert. in inſtit. lib. 5. part. 3. ſect. 3. c. 5.* Convenit cum antihydropico *Muffeti.* Vide *ampelographiam Sachſii ſect. 9. cap. 4.*

Spiritus ⊕li compoſitus GLAUBERIANUS, ob compoſitionem, & furni, quem requirit, ſingularis inventionem, cujus exemplar etiam in *Rolfinciano ſuburbano laboratorio,* meretur commendationem. Mereretur etiam commendationem virtutis, niſi obſtaret ſpiritus carbonum, qui in hac ἐγχειρήσει colligitur.

Spiritus ⊕li PHILOSOPHICUS dicitur ▽ illa fontana, quâ ≠tur ☿ius vitæ ex butyro ♁ii. ▽am calidam eligit *Crollius,* ſed abſtinendum à calidâ eſſe monet *Hartmannus* ne pulvis ille angelicus, uti vocant, flaveſcat.

Hunc philoſophicum cohobatum, & rectificatum eligit præ vulgari *Hartmannus* ad medicinam ſeptem membrorum principalium *Crollii.* Acidulantur eo iulepi infeb. Eſt pro menſtruo.

Hic ſingulari modo rectificatus fit STRIATUS.

OLEUM Vitrioli conſiſtentiâ differt à ſpiritu, & majorem habet vim cauſticam, ponderoſius eſt. Non eſt propriè °°, οὐ γὰρ φλόγιστον, *non concipit flammam.*

Duplex eſt °° vel ſine △, vel cum △ paratum.

Sine igne parandi modum *Denzelinus ad Cratonem epiſt. medicin. 98.* habet Teratur Vitriolum ſubtiliſſimè, affund. ⁜, exſicca, poſt in loco ſubterraneo in vaſe decliviori liqueſcit.

Eſt quidem non tam validum, ſed vires habet ſuas.

Cum igne paratum, eſt craſſior ſpiritus ſalſuginoſi pars, quod ultimò ſpiritum ſequitur, vel quaſi ſedimentum quoddam eſt ſpiritus. Alium modum Ꞩlandi °° proponit *mantiſſâ pag. 770. Zwelfferus.*

Elegantem ſeparandi modum °°um à ſpiritu habet cum ▽ in MB. *Horſtius dec. 1. q. 5. probl. med.* Si citiùs ab opere Ꞩlationis abſtinemus, °° remanet. Vel periculum faciendum, num adhiberi poſſit inſtrumentum inter roſtra intermedia, inſtar illius, quod vocant aludel in cujus ventre reſtitit °°, quòd guttatim illapſum.

Uſus

Uſus hujus ∴ i eſt cauſticus. Vide *Fallopium in chirurg.* In polypo narium abſumendo laudat *Glandorphius de polypo pag.53. Jonſtonius de polypo.* In polypo tamen non exulcerato à corroſivis abſtinendum eſſe, contra quoſdam monet *Horſtius lib. 2. obſerv.27.*

Adhibetur hodie etiam ad excitandos fonticulos iis, qui ferramenta candentia metuunt. Bene autem debet muniri impoſito glandis tuberculo, ne ulteriùs quàm par eſt ſerpat, & nervos penetrando convulſionem excitet, *Mercatus tom.5.conſult. 24. Hieron. ab Aquapend. in operat. chirurg. cap. de fonticulis. Joh. van Horne microtechne pag. 99.*

Præfertur tamen illud actuale ſingularis inventionis inſtrumentum *Aquapendentis*, quod habet abſconditum ignitum ſtylum. Dicitur *κρυφιωπύρεςον.*

Nec PHLEGMA illaudatum relinquimus. Et eſt liquor ille, qui guttatim antequam ſpirituum nebulæ appareant, exſtillat. Vel etiam ſeparatim ex vitriolo per XX extrahitur, ubi rorem vitrioli ſequitur. Adhibetur ad tincturas. Nonnulli ſolo phlegmate vitrioli paralyſin ſanatam fuiſſe ferunt, ſcribit *de conſ.& diſſ.Senn.* Hoc phlegma vocat ▽ utilem ad refrigerationem, & ophthalmiam *Poter. in pharmac.* Eximios alios præſtat uſus, adeo ut *Mindererus* ſcripſerit, ſi *Galenus* unicum phlegma agnoviſſet, auſim polliceri pro Pergameno, eum dimidium ſuorum medicamentorum deſerturum, & ſoli huic crediturum.

CAPUT. VIII
colophonem imponit.

RElat vel tribus ſaltim literulis uſum vitrioli Paracelſiſtarum in lapide philoſophorum (non ente illo chimico) indicâſſe.

In vitriolo punctum centrale quærit *Paracelſus philoſophiæ & medicinæ princeps*, uti ſe ipſum honorat *de tincturâ auri, & jactantiæ monſtrũ & arrogantiæ bombilio*, uti illũ appellat *Kircherus.*

Hoc *Paracelſus*, uti fingit, à ſibyllâ monitus ſe primùm prodidiſſe fatetur. Tectum nomen VITRIOLI ſequens notat:

Viſi-

Viſitabis Interiora Terræ, Rectificando Invenies, Occultum Lapidem Veram Medicinam. Ex initialibus literis colligitur nomen VITRIOLI. Sed ſatis ſcopticè alii hunc in modum reſpondent.

Viâ Iſtâ Theſauros Requirendo Inutilem Operam Luſerunt Viri Multi.

Sed noſtrum non eſt pluribus illud proſequi, cum *Paracelſus* ipſe ſatis ſit prolixus, de quo num verum illud *Kircheri* ? Si, quæ ſcripſit *(de lapide philoſophorum,)* in quintam eſſentiam deſtillaveris, vix quinq; uncias bonarum rerum extrahes. TANTUM!

Politiora in hac graviſſimâ materiâ pollicemur, ſi otium ruminandi olim concedetur.

Θεῷ μεγίστῳ καὶ κρατίστῳ δόξα.

GAudeas, CHIMIA, te nunc clariorem redditam
hocce ſcripto, quod politum prodiens in publicum
fulgidum CHALCANTHON arte perpolit ſpagiricâ,
vique Vulcani, coruſcis æſtuantis ignibus,
optimam condit medelam languënti corpori.

Nobili quod ſplendidorum dum choro medentium
exhibes, dilecte FRATER, fauſta quæque comprecor,
annuat tuis ſupremus arbiter conatibus:
ſoſpitet tuos labores: multa cedat gloria:
gaudiumque ſis parentum: patriæque commodum!

Hac προσφωνήσει
honoratiſſimo fratri, cathedram medicam iterum aſcenſuro acclamat

Henricus Wilhelmus Trumphius
Goslariâ Saxo, SS. Theol. & Phil. Stud.

FINIS.